



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Disput. XV. De ordine, siue ordinatione entium, seu rerum, atque adeo
obiectorum intellectus humani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)



PHARVS SCIENTIARVM.

DISPV TATIO XV.

DE ORDINE, SIVE ORDINATIONE
*entium, seu rerum; Atque adeò obiectorum
intellectus humani.*

MATERIA huius Disputationis ex vniuersalissimis est Metaphysicæ, exactaque notitia eius eximium vsum habet in scientiis humanis; potissimèque in Sacra Theologia. Quam notitiam multi, vt video, propterea non sunt assequuti: quia nemo hactenus, quod sciàm, materiam ipsam vniuersaliter, & ex professo pertractauit. Quo factum est, vt dum illam passim offendunt, quo pedem figant, nil fixum habeant. Tantum interest, pro veritatibus per scientias sparsis reperiendis, vniuersalitati imprimis fontem aperire; vnde suam vnaquæque trahat originem necesse est. Id, quod nos modo circa materiam præsentem facere aggredimur.

QVÆSTIO PRIMA.

*Quid sit ordo, siue ordinatio
rerum, & quotuplex?*

DVOBVS modis entia dicuntur ordinata: secundum seriem, & secundum proportionem. Secundum seriem ordinata sunt illa, quæ in aliqua serie sunt constituta, vel quæ seriem aliquam componunt, siue conficiunt; series autem (quæ vix per quidpiam notius est explicabilis, vtpotè terminus per se notissimus) ex pluribus entibus coalescit, siue componitur, quæ tractu quodam continuo sibi succedunt; seu, quæ inter se referuntur continuâ quâdam successione. Huiusmodi est series partium, siue punctorum eiusdem lineæ; tum series partium temporis; atque etiam motus. Series causarum, & effectuum

cum causâ causat effectum, & effectus causat alium effectum, & hic iterum causat alium, &c. Series etiam connexorum; cùm primum connectitur secundo; secundus tertio; tertius quarto, &c. Sic denique series quorumvis telatorum, ex quibus primus ad secundum; secundus ad tertium, & tertius ad quartum, ac deinceps pariter comparantur. Quæ igitur in aliqua serie huiusmodi disposita sunt, ea ordinata voco secundum seriem. Secundum proportionem autem ordinata dicuntur illa, quæ inter se proportionem aliquam seruant, cuiusmodi sunt ea, ex quibus constat pulchritudo, harmonia, consonantia, analogia, temperamentum; ac demum quæcunque inuicem comparata aliquam proportionem habent, aut seruant, siue ea naturalis sit, siue artificialis; tam enim Natura, quàm Ars in suis operibus ordinatè procedunt, iuxta istud ordinationis genus.

Porro in præsentî disputatione de ordine seriei potissimum est nobis agendum, siue de entibus ordinatis secundum seriem. De ordinatis autem

A

secundum

secundum proportionem non nihil fortasse tangemus *disp. 16.* dicturi plura suo loco, ubi de quantitate rerum in vniuersum sermo nobis sit.

4 Ergo ordinata secundum seriem, alia sunt ordinata suapte naturā; alia sunt ordinata ex accidente. Illa suapte naturā ordinata sunt, quae per suam essentiam, nihilo prorsus superaddito, seriem, seu ordinem constituunt; vel in serie, seu ordine sunt; vel ordinem habent. Huiusmodi sunt plures praesentiae suapte essentia ordinatae secundum seriem in spatio locali; & plures durationes similiter in spatio temporali; atque adeo etiam plures partes temporis (quae à durationibus seu actualibus, seu possibilibus non distinguuntur, ut dictum alibi) necnon plura entia suapte essentia ordinata, seriatimque connexa, & caetera similia. Ordinata autem ex accidente sunt, quae non ratione suae essentiae, siue naturae; sed ratione accidentis adiuncti in serie aliqua ponuntur; atque adeo, eo accidente deficiente, eadem extra seriem, seu non ordinata sunt, vti erant prius. Hoc pacto per ordinatas praesentias corpora ordinantur in loco, quae eadem, eā serie praesentiarum subiecta, non ordinata permanebunt. Similiter per ordinatas durationes aliqua ordinantur in tempore, quibus durationibus variatis, & eorum ordo potuit variari; ita ut, quae posteriora sunt modò fuissent priora quoad existentiam, & vice versa. Vnde series, & ordo, quem habuerunt de facto ex accidente prouenit non ex naturā; nimirum quia cum talibus partibus temporis per tales durationes coniuncta sunt quoad existentiam, & non cum aliis per alias, ut potuerunt. Patetque in similibus.

5 Hinc duplex ordo secundum seriem est distinguendus; alter dici potest ordo naturae; ille videlicet, qui in ipsa ordinatarum rerum natura immediate fundatur; atque adeo consistit re ipsa: Alter dici potest ordo accidentis, qui prouenit ex accidente rebus ordinatis adiuncto. Quoniam autem omnis series, seu ordo in alicuius rei naturam, à qua proueniat immediate tandem est referendus, ut est notissimum; efficitur planè, ut ordo accidentis eorum, quae accidentaliter ordinata sunt, in naturam accidentium, quae illis accrescunt referri debeat, tanquam in id, à quo ducit originem. Vnde eiusmodi ordo, aut ipsemet erit ordo naturae, respectu accidentium, à quibus, veluti à primo fonte promanat; aut sanè ex ordine naturae eorumdem accidentium nascetur. Nulla enim entia ex accidente ordinata dicuntur, nisi accidentia, unde emanat ordo; sint ordinata ex sua natura. Nam corpora, quae ordinantur accidentaliter in aliquo loco, seu spatio, idcirco ita dicuntur ordinata, quia eorum praesentiae suapte naturā in eo spatio ordinatae sunt, adeo, ut repugnet prorsus, eas talem, qualem habent, ordinem non seruare. Similiter, quae ordinantur in tempore, idcirco eum ordinem habent: quia durationes, quas accidentaliter habent, & partes temporis, quibus accidentaliter respondent, essentialiter seruant ordinem, unde alter accipitur. Idemque contingit in reliquis ordinatis ex accidenti, ut per singula discurrere constabit, atque ex discursu disputationis satis conspicuum fiet.

6 Rursus ordo seriei, siue naturae sit ordo, siue accidentis, duplex est; alius enim est ordo prioris, & posterioris, in quo ordinata sic se praecedunt, ut primum secundo, secundum tertio, tertium quarto, patetque deinceps priora sunt; idque

aut suapte naturā cum ordine naturae ordinatur, aut ex accidente dumtaxat, quando ordo eorum est accidentis. Alius est ordo sine priori, & posteriori, in quo nullum ordinatum praecedit aliud, si inter se praecise comparantur. Primi ordinis exemplum sit, series durationum, & partium temporis, ex quibus aliae praecedunt alias suapte naturā; tum series rerum, quae per durationes sibi accidentarias in tempore ordinantur, ex quibus aliae, praecedunt alias ex accidente. Exemplum autem alterius ordinis sit series praesentiarum, quae ita ex naturā sua ordinatae sunt in spatio locali, ut nulla earum comparata ad aliam praecise prior sit illa, vel posterior ex sua natura; tum series corporum praesentium, quae ita ratione praesentiarum ordinata quoad locum sunt, ut alterum altero non sit prius ex accidente ratione praesentiarum, dum comparantur inter se.

7 Caeterum, quanquam in serie secundi generis non sit prioritas, & posterioritas inter res ordinatas praecise inter se comparatas, vti est in serie primi generis; Est tamen prioritas, & posterioritas in illis, prout comparantur alicui tertio, respectu cuius in quavis serie, quod propinquius est, prius dicitur remotiori. Haec tamen stricte potius est maior, vel minor propinquitas respectu tertij, quam prioritas, & posterioritas, ut ex dicendis apparebit.

8 Alius praeterea ordo seriei excogitari posset mixtus ex ordine naturae, & ex ordine accidentis, qui rursus in plures diuidendus esset iuxta diuersos modos mixtionis, qui fieri possunt; sed non oportet de his ordinibus mixtis sermonem miscere, ne materia haec obfuretur multitudinem terminorum: quia si quid in aliquo casu de eorum naturā, aut proprietatibus scire opus fuerit, id facillime ex dicendis circa simplices ordines dignoscetur.

Q V A E S T I O II.

Quid sit ordo prioris, & posterioris. Et quotuplex.

A Ristot. in lib. *Pradicam. cap. 12. de modis prioris*, quinque omnino modos enumerat, quibus alterum altero prius dicitur. Primò enim id prius altero, & propius dicitur secundum tempus, quod antiquius eo, & vetustius est. Secundò dicitur prius altero, quod non conuertitur cum illo secundum subsistendi consequentiam; ut vnum duobus prius est: quia, duobus existentibus, consequens est, ut vnum existat; sed non è conuerso. Tercio inquit Philosophus, vnum altero dicitur prius secundum aliquem ordinem, vti in Geometria elementa priora sunt iis, quae ex elementis demonstrantur. In Grammatica elementa priora sunt syllabis; & in orationibus proemium prius est narratione; Quarto quod melius, & honorabilius est, prius naturā esse videtur ait Arist. addit tamen, hunc penè alienissimum esse modum priorum. Quinto denique eorum, quae conuertuntur secundum essendi consequentiam, quod alterius est causa quavis ratione, prius naturā illo esse docet Arist. Quo pacto prius est, inquit, hominem esse, quam esse veram orationem id affirmantem; esse enim hominem re ipsa

Disp. XV. De ordine, & ordinat. rer. Quæst. II. 3

ipsa causa est quodammodo, cur sit vera propositio, quâ, hominem esse, affirmatur.

10 In lib. autem 5. *Metaph. cap. 11.* ea in vniuersum, dicit Philosophus, esse aliis priora, quæ propinquiora sunt alicui principio, sicuti ea sunt priora secundum locum, quæ alicui præfinito loco propinquiora sunt: tempore autem, quæ propinquiora sunt instanti præfenti priora vocantur reliquis, cum sunt futura. Ex præteritis verò, ea sunt priora, inquit Aristoteles, quæ respectu instantis præfentis remotiora sunt. Secundum motum similiter id est prius alio, quod primo alicui mouenti propinquius est; siue illud mouens sit natura aliqua, siue sit electio. Ratione enim huius tantum principij Princeps prior dicitur esse subditis, ut potè magis remotis ab ipsa Principis electione. Denique secundum ordinem in rebus discretis ea dicitur esse priora quæ alicui primo priora sunt; ut in chorea, qui secundas tenet, prior est eo qui tenet tertium locum. Deinde docet, esse quædam priora aliis secundum cognitionem: vniuersalia namque priora sunt singularibus quoad cognitionem intellectiuam; quoad sensitiuam verò è conuerso singularia priora sunt vniuersalibus. Item accidens prius est cognitione composito conflato ex accidente, & subiecto. Præterea inquit priora sunt passionibus priorum, ut relictio leuitate: relictio enim est passio lineæ, & leuitas passio superficie; linea autem prior est superficie. Postremo dicit, ea secundum naturam priora esse, quæcumque contingit esse sine aliis, ista verò non sine illis, quæ diuisione vsus est Plato. Hæc Arist. in *summâ de ordinibus prioris, & posterioris.*

11 Ego verò, ut distinctius procedam, suppono ex *quæst. præced.* quædam esse priora aliis secundum naturam; quædam ex accidente tantum. Tum prioritatem ex accidente in prioritate naturæ fundari, uti fundatur ordo, accidentis in ordine aliquo naturæ iuxta ibi dicta.

12 Suppono deinde, ea quæ sunt priora aliis secundum naturam duplicia esse, ut *q. præced.* indicaui. Alia enim sunt priora aliis prioritate absolutâ à tertio, quæ est propria, & stricta prioritas: quæ ratione vna pars temporis prior alterâ est, & causa causalitate est prior, &c. Alia sunt priora aliis prioritate respectiua ad tertium, quæ potius est maior propinquitas, quàm prioritas. Quo pacto in serie præfentiarum A. B. C. D. præfentia B. prior dicitur esse comparatione præfentia A, quàm præfentia C. quia B propinquior est suâ naturâ ipsi A; quàm C, cum tamen respectu præfentia D prior sit C quàm B: quia propinquior. Id, quod in quâlibet omnino serie siue ordine naturæ licebit meditari; quod, enim alteri in vnoquoque ordine immediatum est, id propinquius est illi, quàm mediata; atque adeo priusquam illa respectu eius inter mediata autem illud est prius respectu tertij, siue propinquius illi, à quo ad tertium pauciora media intercepta sunt, ut est notissimum. Simili modo sunt in duo membra diuidenda ea, quæ non suapte natura sunt aliis priora; sed ex accidente dumtaxat. Alia enim sunt, quorum prioritas accidentalis est absolutâ à tertio: quia sumitur à prioritate absolutâ à tertio accidentium: quæ ratione, qui natus est heri prior est tempore absolutè, quàm, qui nascitur hodie. Alia sunt, quorum prioritas accidentalis est respectiua ad tertium quoddam: quia sumitur ex prioritate accidentium respectiua ad tertium. Quo pacto, qui propinquior est alteri ratione præfentia propinquioris,

Pharus Scientiarum, Tom. II.

prior dicitur respectu eius, quàm qui sunt remotiores. Hinc factum est, ut quoties plura aliqua mobilia in locum aliquem determinatum per motum tendunt, extremum illud totius seriei, quod propius accedit ad destinatum locum, absolutè dicatur primum reliquis in eiusmodi motu; cum tamen extremum alterum seriei dicatur postremum. Tum primum illud anteire dicitur, & præcedere; subsequi autem reliqua: inter quæ etiam, quæ propinquiora sunt illi primo; atque adeo loco, quo omnia tendunt, priora reliquis appellantur.

His ita positis, prioritates omnes naturæ 13 imprimis recensendæ sunt; inde enim facile fiet gradus ad numerandas prioritates ex accidente, ut satis ex dictis notum est. Quod autem de prioritate dixerò, patirer est intelligendum de posterioritate, hæc enim duo vicissim inter se referantur.

Dico ergo primò; quatuor omnino modis esse 14 alia aliis priora secundum naturam eâ prioritate, quàm absolutam à tertio diximus, nempe, duratione, origine, inconnexione non mutuâ, & dignitate, seu perfectione. Duratione dicuntur alia aliis priores suapte naturâ partes temporis, quia vnaquæque ita se habet, ut essentialiter ex conceptu suo sit prior respectu alterius subsequentis, posteriorque respectu antecedentis. Tempus quippe in serie quadam durationum, seu actualium, seu possibilium consistit suapte essentiali ordinatarum, ac se succedentium temporaliter, prout aliàs iam tetigi, & suo loco fusius exponam. Origine autem illud altero est prius, quod in id influit quoquo modo siue ut principium influxuum, siue ut causa, siue ut conditio, siue ut causalitas. Inconnexione verò non mutuâ, vnum altero prius est, quando posterius cum priore necessariò connectitur; sed non vicissim. Qui modus prioritatis ille ipse est, in quo non valet subsistendi consistentia iuxta Aristot. phrasim. Dignitate denique, seu perfectione id est prius alio, quod dignius, seu perfectius est illo quauis ratione.

Item sunt species simplices prioritatis, ex 15 quibus alia compositæ emergunt, cum earum duæ vel plures in eodem ente reperiuntur respectu eiusdem. Sunt autem mixtiones possibiles ex quatuor simplicibus dictis omnino vndecim; & ex regulis combinationum tradendis à nobis alibi constat, & quisque ipsas efficiendo poterit experiri. Carterum quia prioritas dignitatis minus propria est; nec multum usum in scientiis metaphysicis habet, satius erit, quod attinet ad rem præfentem, prætermittere illam: quâ prætermisâ; mixtiones ex tribus residuis possibiles omnino erunt quatuor. Ex quibus, ea potissimum præ oculis habenda est; quæ resultat ex prioritate originis; & ex prioritate inconnexionis non mutuæ, ut potè, quæ frequentius potest, atque etiam solet occurrere. Omnis quippe causa non necessitata ad causandum prioritate originis, & simul inconnexionis non mutuæ est prior suâ causalitate; cum tamen omnis causa, & causalitas cum effectu connexa solius originis prioritate sit prior ipso effectu.

Secundò dico; prioritatem naturæ respectiuam 16 quâ eatenus vnum dicitur esse prius altero respectu tertij, quatenus tali tertio propinquius est, in

A 1 omni

omni omnino serie, siue ordine naturæ posse inueniri, vt dicebam *num. 12.* siue series sit earum, vbi datur prioritas, & posterioritas naturæ absoluta à tertio, quales sunt quatuor commemorata, & compositæ ex illis; siue earum, vbi non datur, quales sunt reliquæ omnes excogitabiles.

17 Venio ad prioritates ex accidente, quæ tot ferè modis, ac prioritates naturæ recensendæ sunt. Imprimis enim prioritate ex accidente, quam respectiuam ad tertium appellauimus, ea aliis priora sunt, quæ ratione alicuius accidentis tertio, ad quod omnia comparantur sunt propinquiora; vt in serie locali corpora illa ratione præsentiarum sibi accidentium priora sunt aliis ex accidente respectu tertij, ad quod comparantur, quæ propinquiora sunt ipsi tertio ratione eorundem præsentiarum. Et vniuersim quæcumque in quolibet ordinum genere ex accidente ordinata sunt, ex accidente etiam priora, aut posteriora erunt respectu tertij, ad quem comparantur, prout magis propinqua, aut magis remota illi tertio fuerint in ea serie, in qua ordinantur ex accidente.

18 Prioritate autem ex accidente absolutà à tertio illa sunt priora aliis in vniuersum, quibus priores gradus obueniunt eorum ordinum naturæ, à quibus accidentariè denominantur ordinata. In serie enim durationis, seu temporis, qui natus est heri prior est secundum tempus; quam, qui nascitur hodie: quia natiuitas illius accidentaliter fuit coniuncta tempori hereterno, quod prius est tempore hodierno suapte naturâ; cum tamen natiuitas alterius tempori hodierno etiam accidentaliter coniuncta sit: fieri enim potuit, vt vtriusque natiuitas eidem tempori coniungeretur: quo casu neuter esset prior altero secundum tempus; sed simul essent duratione. Similiter in serie dignitatis, seu perfectionis, illud est accidentaliter prius altero, quod est illo dignius; aut perfectius non ratione suæ naturæ; sed ratione alicuius accidentis adiuncti. In serie autem inconnexionis non mutatur id vniuersè prius altero erit accidente, quod aliqua ratione, accidentariè tamen coniunctum fuerit cum gradu eius seriei suapte natura priore. Hoc pacto prius est in intellectu Dei obiectiue obiectum conditionatum, quam absolutum: quia scientia Dei conditionata naturâ præcedit absolutam isto genere prioritatis, prout explicabitur suo loco. Denique iuxta seriem originis illud erit ex accidente prius, quod à priori sua natura in ea serie denominatur tale; posterius verò, quod denominatur à posteriore. Sic obiectum cognitum per cognitionem influentem in cognitionem alterius, prius altero ex accidente iuxta seriem hanc appellabitur quoad esse obiectinum, seu intentionale. Huc spectat prioritas illa, qua finis prior dicitur esse, quam media ordine intentionis: quia intentio, quam terminat finis prior est secundum originem, quam electio mediorum, quæ sane prioritas in fine intento tantum est prioritas ex accidente, vt ex dicendis apparebit.

19 Dubitari potest hic primò: vtrum in serie originis, prioritas mediata dicenda sit prioritas ex accidente, quando extrema possunt existere, ablato medio, quin alterum prius altero sit. E. g. causa, quæ mediâ actione, cum qua non connectitur producit effectum, prior est ipso effectui mediata: quia est prior actione, quæ est prior effectui; & tamen si effectus ab aliâ causâ produceretur, vt potuit: possent existere effectus, & causa, à quâ modò est, quin vnus esset prior altero secundum originem; imò res ita fortasse

potuissent disponi, vt qui modò est effectus, alia esset causa suæ causæ. Respondeo, hic solum posse esse questionem de nomine, censeo tamen, aptius loquentum iri; si dicatur causa prior esse effectui naturæ suæ. Nam licet causa ratione actionis sibi accidentis sit prior effectui; actio tamen non pertinet ad aliam seriem naturæ, sed eandem seriem cum causa constituit; cum causa ipsa naturâ suâ emittit actionem, esto contingenter, vt cum eâ eandem seriem constituat originis: posita autem actione, iam causa non potest non esse prior effectui. Adde, causam mediata tantum esse priorem effectui; prioritas autem mediata essentialiter postulat medium inter extrema; nec sine tribus entibus potest subsistere; sicut prioritas immediata nequit esse sine duobus. Vnde sicut natura ordinata dicuntur duo entia immediate, quorum alterum non potest non esse prius altero, casu, quod ambo existant; ita etiam mediata dicuntur illa secundum naturam ordinatam, quæ, posito medio, ratione cuius ordinatur mediata, non possunt non esse ordinata. Sic se habent causa, & effectus, posita actione, siue influxu intermedio. Itaque, loquendo proprie, illud solum dicitur prius alio ex accidente, quod participat prioritatem ab accidente existente in aliâ serie naturæ, quam ipsum non constituit; sed supponit, vt patet in omnibus exemplis commemoratis. Quod verò prioritatem participat à re existente in eadem serie, quam ipsum cum illâ constituit, etsi accidentariè coniungantur, prius naturâ erit dicendum prioritate mediata.

Secundò dubitari potest, num causa per accidens sit dicenda prior naturâ effectui; an verò solum prior ex accidente. Respondeo, causam per accidens, quæ verè influit in effectum priorem illi naturâ esse: quæ autem non influit; sed coniungitur causæ influenti, tam ex accidente tantum posse esse priorem. Quæ autem influat, & quæ secus, suo loco dicetur.

Superest dicendum de prioritate cognitionis, siue 20 cognoscibilitatis entium. Quædam enim aliis priora dicuntur secundum cognitionem, vt *supra* ex Arist. dictum est: nimirum, quia prius quam alia cognoscuntur, siue cognoscibilia sunt. Bisatiam autem dici solet, vnum prius, quam alterum cognosci. Primò, sumptâ prioritate ex parte obiecti. Secundò, sumptâ prioritate ex parte cognitionis. Priori modo cognoscitur prius altero id, cuius prioritas cognoscitur; seu, quod ex parte obiecti prius altero apparet: posteriori verò id, cuius cognitio est prior, quam cognitio alterius. Porro cognitio vnus tot ferè modis potest esse prior, quam cognitio alterius; quorū aliud ens quoduis reale potest esse prius altero; nempe prioritate temporis, prioritate originis, prioritate inconnexionis non mutatur, &c. Ad prioritatem autem cognitionis secundum tempus, reducitur prioritas numerationis: quia series numerationis successiua (in qua alie vnitates aliis dicuntur esse priores ab vnica omnium primâ incipiendo) in serie successiua cognitionum numerantis fundatur; ordo enim iste numeri (vt modò alios, quos habere potest omitam) denominatio est extrinseca sumpta ab ordine cognitionum. Ex quo patet, ordinem, quem obiecta participant ab ordine cognitionum, quibus noscuntur, aut numerantur, non esse ordinem naturæ; sed accidentis; vt iam *supra* indicatum est. Iam verò, quod ex parte obiecti prius altero apparet, aut habet re verè eam prioritatem, cum quâ cognoscitur, &

Disp. XV. De ordine, & ordinat. rer. Quæst. II. 3

& sic ea erit aliqua ex prioritatibus realibus iam recensitis; aut verè non habet eam prioritatem, sub quâ concipitur; & sic illa erit prioritas factitia, siue prioritas rationis ficta.

22 Prioritas autem ista rationis multifariam con-
fingi potest. Primò cum fundamento in rebus ipsis.
Secundò sine fundamento. Deinde, aut inter
conceptus identificatos realiter, aut inter entia
distincta; sed non ordinata realiter. Præterea aut
inter conceptus reales siue identificatos, siue dis-
tinctos, aut inter conceptus purè fictitios, aut
inter conceptus mixtos, iuxta dicta de Ente ratio-
nis vniuersè *disp. 12*. Denique prioritas rationis fic-
ta, aut esse potest eiusdè generis cum prioritatibus
realibus, quas recensimus; accommodata tamen
rebus, quibus verè non competit; aut potest esse
aliorum generum variè, prout cuique libuerit
confictorum. Prioritas demùm rationis suppositi-
ticia alia non est à prioritate reali phantasmatum
pro rebus cognoscendis ab intellectu nostro sub-
stitutorum; sicut distinctio rationis suppositi-
ticia alia non est à distinctione reali ipsorum sub-
stitutorum, prout in *dist. disp. 12*. explicatur est.

23 Ex dictis constat, ordinem prioris, & posterio-
ris in vniuersum aliud non esse à serie rerum, qua-
rum alia aliis succedunt; aliaque subindè aliis
prioris, & alia aliis posteriores dicuntur; idque
vel suapte essentia, siue natura, vel ex accidente
sibi adiuncto: tum aut prioritate, posterioritatem-
que absolutà à tertio; aut prioritate, posteriori-
tatemque respectu ad illud. Qui omnes termini
adeò ex se, & ex dictis sunt noti, vt amplius
nequeant explicari. Nonnulla tamen de singulis
prioritatibus (tantumdemque de posterioritatibus
cense) singillatim sunt adnotanda, quò luculen-
tius innotescat earum essentia. Et primùm, de il-
lis prioritatibus naturæ, quas absolutas à tertio
dicimus: inter quas primum locum obtinet prio-
ritas durationis.

24 Porro prioritas durationis, quâ alia partes tem-
poris aliis partibus sunt priores suapte naturâ om-
nium profectò prioritarum naturæ notissima est.
Vnde & reliquarum solet nobis esse mensura, ad
cuius instar eas concipere, seu imaginari consue-
uimus. Quid enim notius, quàm diem hodiernum
esse priorem crastino, qui nondum accessit, & po-
steriorem hesterno, qui iam præterit. Ad quam
naturæ prioritatem, pertinet prioritas durationum
respondentium partibus temporis, vtpotè, quod
re ipsâ consistit in serie quâdam successiuâ huius-
modi durationum, seu actuali, seu possibili; vt
iam tetigimus, & latius *suo loco* explicabimus.
Quocirca prioritas naturæ talium durationum, in
prioritatem naturæ partium temporis recidit; sub-
indèque æque, atque illa nota, seu cognoscibilis
ex terminis censenda est.

25 Sequitur prioritas originis, quâ alio dicitur
prius esse, quod influit in illud quoquo modo. Quæ
sanè prioritas, quod attinet ad sui cognoscibili-
tatem, secundum locum post prioritatem duratio-
nis habet. Cuilibet enim satis ex ipsis terminis
innotescit id, per quod aliud est, vel à quo aliquo
modo accipit esse, prius illo esse debere aliquo ge-
nere prioritatis, neque enim intelligibile videtur,
quod vnum alteri det aliquâ ratione existentiam,
aut communicet esse, nisi illud prius altero aliquo
modo sit: quia nemo dare intelligitur, quod nullo
modo habet, & quod alicui datur, prius esse concipitur
in dante quàm in accipiente; vnde id, quod
dat alteri per influxum aliquo modo esse, aut exi-

Pharus Scientiarum, Tom. II.

tere, prius censetur habere in se virtualiter illud
esse, quod dat; quòd non est aliud, quàm habere
prius proprium esse, à quo veluti à virtute quâ-
dam promanat aliud.

Prioritas dignitatis non est propria, & stricta 26
prioritas, vt bene aduertit Arist. *cap. illo 12. supra*
citato; cum dixit, tunc penè alienissimum esse
modum priorum. Quod enim dignius, seu perfe-
ctius est alio, eatenus solum videtur dici prius illo,
quatenus ipsi præferatur, & anteponitur, quod
attinet ad æstimationem. Digniori namque primus
accubitus conceditur in conuiuio; digniori primæ
epulæ ministrantur; digniori primus locus tradi-
tur in convitiis ac demùm in quolibet ordine
rerum primus obtinere solet, qui dignior est.
Et quod melius, siue perfectius est in vnoquoque
genere id prius appetitur, prius eligitur, prius
queritur, prius insequitur, prius capitur quam
deterius. Quoniam igitur huiusmodi prælationum
causâ, seu radix est maior dignitas, vel perfectio:
idè per quamdam analogiam, quod dignius est,
aut perfectius prius dicitur minùs digno, siue mi-
nùs perfectio: quemadmodum medicina analogicè
dicitur sana: quia est causâ sanitatis animalis, quod
propriè à sanitate sua dicitur sanum.

Superest prioritas inconnexionis non mutua, 27
qua vnum altero prius esse dicitur, quoribus poste-
rius cum priori connectitur, eoque iure ab illo di-
citur dependere; prius tamen non est connexum
cum posteriori; atque adeò nec dependet ab illo.
sic possibilitas prior est existentia, & status con-
ditionatus prior est statu absoluto: sic etiam vnitas
prior binario dicitur esse, & vniuersale prius par-
ticularibus. Fundatur autem hæc naturæ prioritas,
in dependentiâ non mutuâ oriundâ à non mutuâ
connexionem, præsertim metaphysicâ. Quando enim
connexionem metaphysicâ (de quâ, quod ad rem
attinet, semper loquimur, loquemurque, in *sequen-*
tibus, nisi aliud expellerimus,) non mutuâ duo
quæpiam quoad esse referuntur, idè profectò,
quod cum altero non est connexum dicitur prius
illo suapte naturâ; quia ab illo quoad esse non de-
pendet; cum tamen connexum ratione connexio-
nis pendeat à non connexo. Quoniam, dum non
connexum A terminat connexionem connexi B. A.
quidem aliquâ ratione conducit, vt sit B, cumque
B nihil conducit, vt sit A, eo quod A aliundè
habet esse omninò independentè à B; efficitur
sanè, vt A prius concipiatur esse, quam B, & verè
sit prius naturâ suâ, eo ferè pacto, quo in serie ori-
ginis, quod in aliud influit, prius illo concipitur,
vt explicuimus, & verè est. Vt enim id, quod per
originem non mutuam ab alio est, posterius est illo
suâ naturâ, eo quod habet esse ab alio, quin
aliud pariter esse habeat ab ipso. Ita, quod per con-
nexionem non mutuam dependet ab alio posterius
etiam est illo naturâ suâ: quia ab illo quodam
modo videtur habere esse quin aliud pari ratione
habeat esse ab ipso. Illud inter originem, & con-
nexionem discrimen est; quod origo non potest
vilo modo esse mutua, vt *supra disp. 9. q. 5. pro-*
posit. 29. monstratum est; connexio autem mutua
esse potest, vt vidimus *disp. 14. q. 4.* Quo fit, vt
quod ab alio dependet quoad esse ratione con-
nexionis, possit non esse posterius illo, quando aliud
pariter per connexionem pendeat ab hoc: quia depen-
dentiâ mutua quoad esse non posterioritatem facit, sed
simultatem. Non enim est maior ratio, cur aut sit prius
illo quàm contrâ. Idem tamen prius & posterius
natura sua respectu eiusdem esse non potest, vt *infra*
videbimus.

A 3

videbimus. Quod autem dependet ab alio ratione originis, non potest non esse posterius illo. Putarem tamen posse, si esset possibilis origo mutua ob rationem dictam.

28 Ceterum, etsi prioritas originis, & prioritas inconnexionis non mutua adeo sunt similes, id nihilominus apud omnes certum esse debet, prioritatem originis longè strictioris conditionis esse, quam prioritas inconnexionis non mutua; quemadmodum dependentia per originem proprior est dependentia, quam dependentia per connexionem. Quis enim non videat, proprius ab alio dependere, quod ab illo accipit suum esse tanquam à principio influxivo, quam quod cum alio connectitur tanquam cum termino quodam, sine quo non haberet esse. Quamquam enim vinculum connexionis metaphysicè strictius sit, quam coniunctio originis; eo quod sine contradictione non potest esse sine alio, quod metaphysicè cum eo connectitur; cum tamen, quod ab alio est per originem sæpè esse possit sine illo: tamen semper illud est verum, propriori modo dependere vnum ab alio per originem, quam per connexionem. Tum eam prioritatem strictiorem & præstantiorem esse, quæ in propriori dependentiâ fundatur, qualis est prioritas originis comparatione prioritatis inconnexionis non mutua.

29 Ex quo fit, prioritatem originis omnino prævalere; prioritatem verò inconnexionis non mutua prorsus irritari, & evanescere, quoties ambarum fundamenta sibi ex aduerso occurrunt. Si enim A. influat in B; A. quidem prius erit, quam B. prioritate originis; & B. nullatenus dicitur prius esse, quam A., tametsi A. metaphysicè, & non mutuo connectatur cum B., quo iure B. prius esset A. prioritate inconnexionis non mutua, nisi A. influeret in B. Hæc ratione actio prius est termino secundum originem; cum tamen terminus nullatenus sit prior actione; etiam si actio cum termino metaphysicè connectatur connexionem non mutua. Cuius rei ratio est: quia ex vna parte idem comparatione eiusdem prius, & posterius suapte naturâ concipi nequit, ex alia verò parte independentia non mutua, quam actio habet respectu termini secundum originem vincit dependentiam non mutua, quam habet secundum connexionem respectu eiusdem, ut ea non obstante prius illo dicatur. Similiter, esto A. & B. mutuo connexa sint, non dicentur illo modo simul naturâ ob eam mutuam connexionem: quia influxus, quem A. habet in B. multò melius eiusmodi similitudinem absorbet impedit, ut bene vidit Arist. q. seq. referendus.

30 Qualibet autem ex dictis prioritatibus, posterioritatisque naturæ, denominatio, siue relatio quedam est semixtrinfeca subiecto priori, aut posteriori; id est, realiter identificata partim cum ipso, partim cum cæteris fundamentis, unde illa desumitur. Fundamenta autem sunt subiectum dumtaxat, & terminus, quando prioritas, aut posterioritas est immediata; quando autem mediata; cætera insuper entitates, quæ mediant. Unde prioritas, & posterioritas naturæ in suo conceptu reali ista omnia fundamenta inuoluit: formaliter tamen acceptæ relationes quædam rationis suppositiæ sunt; perinde ac similitudo, æqualitas, distinctio, & cætera huiusmodi, iuxta doctrinam vniuersalem traditam *suprà disp. 14 q. 1.* & hæc de prioritatibus naturæ absolutis à tertio.

31 De respectibus autem ad tertium nihil ferre

est, quod addamus præter iam dicta. Ex quibus constat, eas omnes in omni serie reperiri, eiusdemque rationis esse; cum omnes in maiori propinquitate ad tertium consistant; quemadmodum posterioritates consistunt in minori. Unde illæ formaliter relationes quædam rationis suppositiæ sunt; realiter verò ab aggregato fundamentorum, unde sumuntur, sunt indistinctæ, quorum vnum est ipsum subiectum, quod dicitur prius, aut posterius, id est, magis, aut minus propinquum ad tertium, relatè ad quod dicitur talis. Quæ omnia ex dictis, tum in *superioribus*, tum loco citato satis sunt nota. De prioritatibus demum ex accidente, deque quidditate earum nihil est, quod addamus præter dicta. Ex quibus, in quo illæ; tum formaliter, tum realiter consistant, facillè quisque colliget.

QVÆSTIO III.

Quid sit similitudo rerum. Et quomplex?

Appello similitudinem ob vocabuli inopiam, à conjunctionem, à quâ res habent; siue dicuntur esse simul. Tametsi nomen *similitudo* aliud diuersum significet apud Latinos.

Arist. in *lib. Prædicam. cap. 13. de modis similitudinis* 31 dumtaxat assignat modos, quibus aliqua simul esse dicuntur. Primum enim, inquit Philosophus, simul dicuntur simpliciter quidem, & propriissimè ea, quorum generatio in eodem est tempore. Deinde naturâ simul dicit esse quæcumque conuertuntur quidem secundum eius, quod est essendi consequentiam; sed nequaquam alterum alteri causa est, ut sit. Præterea simul naturâ appellat species, quæ ex æquo diuidunt idem genus siue immediatè, siue mediatè; hoc est, quæ æqualiter distant ab eodem genere. Hæc Arist.

Ego verò, ut vniuersalius rem explicem, suppono primò de similitudinibus, perinde ac de prioritatibus, & posterioritatibus, siue cum proportionem ad illa philosophandum esse; atque ita dicendum, alia esse simultanea suapte naturâ, alia ex accidente dumtaxat. Deinde alia sunt simultanea similitudine absolutâ à tertio; alia similitudine respectiua ad tertium. Præterea, alia sunt simultanea se ipsâ; alia verò tantummodò secundum rationem, alia secundum cognitionem, &c.

Secundò suppono, similitudinem rerum prioritatis, posterioritatisque earum oppositam esse. Nam, quâ ratione vna res alteri prior est, aut posterior, eadem simul cum illâ esse non potest; nec vice versâ. Unde, quot sunt prioritates, & posterioritates rerum, tot sunt oppositæ similitudines necesse est. Ex quo rursus fit, ut similitudines rerum intra eandem omnino series considerandæ veniant, & collocandæ, intra quas considerantur, & collocantur oppositæ rerum prioritates, & posterioritates.

Ex quibus dico vniuersè ea in vnaquâque serie, siue ordine simultanea dicenda esse, quæ ad eundem talis serie, siue ordinis pertinent gradum. Erunt autem simultanea suapte naturâ, si ordo ad quem pertinent sit ordo naturæ; ex accidente verò erunt simultanea, si ordo, ad quem pertinent sit ordo accidentis, iuxta diuisionem factam *quæst. 1.* Tum simultanea erunt similitudine absolutâ à tertio, quæ

Disp. XV. De ordine, & ordinat. rer. Quæst. IV. 7

quæ similitudinem habent oppositam prioritati absolutæ à tertio; quæ verò similitudinem habent oppositam prioritati respectivæ ad tertium, & ipsa eorum similitudo ad tertium respectiva erit.

37 Hinc in serie durationis, seu temporis simul naturâ sunt plures quæque durationes eidem mensuræ temporis respondentes. Ex accidente verò sunt simul in serie similiter durationis, seu temporis, plures quæque res per durationes sibi accessorias in eodem tempore existentes. In serie autem originis simul naturâ sunt plures quæque causæ ex æquo influentes, physice in eundem effectum; atque etiam plures quæque effectus ex æquo provenientes physice ab eadem causâ. Ex accidente verò simuleunt in serie originis plura quæque obiecta ex æquo mediâ sui cognitione; atque adeo intentionaliter, siue moraliter ad eundem effectum concurrentes. In serie autem connexionis simul naturâ erunt plura quæque subiecta ex æquo connexa non mutuo cum eodem termino. Necnon plures quæque termini ex æquo terminantes non mutuum connexionem eiusdem subiecti. Ad quod similitudinis genus pertinet, quam habent plures species ex æquo diuidentes idem genus, siue immediatè, siue mediatè, utpote quibus ex æquo est prius genus ipsum prioritate inconnexionis non mutua. Extrema verò mutuo connexa, non quidem, quod ad eundem gradum seriei connexionis pertinent; sed aliunde ab Aristotele, & ab aliis communiter dicuntur esse simul naturâ, nempe: quia mutuo sunt inseparabilia; quæcumque autem ab inuicem separari non possunt, simul naturâ esse censentur. Iam verò ex accidente in serie connexionis simul esse dicuntur, quæcumque ad eundem gradum talis seriei quoquo modo accidentariè tamen spectauerint. Denique in serie dignitatis simul naturâ dicenda veniunt quæcumque æqualem dignitatem, seu perfectionem habent suapte essentia. Ex accidente verò, quæ ab accidentibus superadditis illam habuerint. Et hæc de rerum similitudine absolutâ à tertio. Similitudo verò respectivâ ad tertium, imprimis simul naturâ sunt plures quæque præsentia eidem spatio locali correspondentes; ex accidente verò plures quæque res per superadditas præsentias in eodem spatio locali, siue in eodem loco existentes. Et vniuersim plures quæque res per suam essentiam pertinentes ad eundem gradum cuiuslibet omnino seriei, simul naturâ dicenda veniunt in tali serie, similitudo respectivâ ad tertium; hoc est, æquali ad tale tertium propinquitate. Ex accidente verò, quæ per accidentis superadditum ad eundem gradum spectauerint.

38 Quæ cum ita sint; vniuersaliter factum est, ut quæcumque in eodem tertio coniunguntur, simul in eo esse dicantur; idque, vel per suam naturam, vel per accidentis superadditum; siue tale tertium sit idem locus; siue idem tempus; siue idem status; siue idem subiectum; siue aliud quodvis, in quo plura dici possunt habere esse. Cuius ratio est: quia nullum huiusmodi tertium erit, quod alicuius seriei, seu ordinis aliquem gradum constituere, aut saltem ad aliquem gradum reduci nequeat. Nec solum, quæ ad vnum, eundemque seriei gradum pertinent, simul in eo esse dicuntur; sed etiam interdum, quæ pertinent ad gradus contiguos, siue immediatos: imo nonnunquam, quæ in essendo quovis modo consortium habent. Ita enim simul esse, siue simul habere esse dici solent, quæ aut se se tangunt, aut contigua, aut coniuncta, aut associata sunt quoquo modo, aut demum quodvis ge-

nus habent consortium in essendo; tamen si modi isti loquendi laxi sint, & improprij.

Porro quævis rerum similitudo denominatio quædam earum est aut semixtrinfeca, aut extrinfeca consistens realiter in aggregato fundamentorum, unde desumitur: formaliter vero in quâdam relatione rationis suppositicia, prout dictum est de prioritate quæst. 2. consentaneè ad vniuersalem doctrinam traditam, tum disp. 12. quæst. 3. tum disp. 14. quæst. 1. quæ ad rem recolenda.

Denique, quomodo aliqua possunt esse simul te ipsâ, tot modis, & aliis pluribus possunt esse simul per rationem, ut de prioribus, & posterioribus dictum est quæst. 2. secundum cognitionem autem simul esse dicuntur, quæ simul dicuntur cognosci: dicuntur autem simul cognosci, propriè loquendo, quæ, vel per vnicam cognitionem, vel per plures simultaneas cognoscuntur. Cognitiones autem tot modis, quot cæteræ res simultaneæ esse possunt. Alio item sensu dicuntur simul cognosci illa, quorum similitudo attingitur ex parte obiecti, quidquid sit de cognitionibus, quibus attingitur, ut de prioribus, & posterioribus ibidem, etiam dictum est.

QVÆSTIO IV.

Virum prioritas naturæ aliquibus in casibus impediatur. Et qua ratione?

Tunc dicitur impediri prioritas naturæ, quando dantur in rebus prædicata ex se sufficientia ad eam fundandam; ab aliis tamen prædicatis interuenientibus enervantur, ne illam fundent. Examinandum ergo suscipimus in præsentî quæst. in quibus id casibus eueniat

Propositio 1.

Prioritas naturæ respectiva ad tertium in nulla serie constante ut minimùm tribus gradibus potest villo modo impediri.

Sitenim series quævis compacta ex A. B. C. ea posita impossibile prorsus erit, ut B. respectu C. non sit prius, quàm A. quia impossibile est, ut B. non sit propinquius ipsi C. quàm A; ut ipsa seriei constructio supponit. Id autem ipsum est, B. respectu C. prius esse, quàm A. ut constat ex superius dictis.

Propositio 2.

Prioritas naturæ absolutâ à tertio in serie durationis non potest villo pacto impediri.

Quia impossibile est, ut dies hodiernus, & quævis duratio ei correspondens, non sit suapte naturâ prior die crastino, & cuius durationi ei correspondenti, ut ex se patet; tantumdenique est de cæteris partibus temporis, & durationibus correspondentibus illis quibus solis prioritas naturæ; conuenit in serie durationis. Nulla enim est, quæ in illo casu possit non esse prior naturâ subsequenter, & posterior antecedentibus, cum omnes sint, quod ad rem attinet, eiusdem rationis, ut etiam patet.

Propositio 3.

- 44 In serie itidem dignitatis, seu perfectionis impossibile est, ut prioritas naturæ impediatur aliquo modo.

Quia, quod semel dignius est alio, siue perfectius per suam essentiam, non potest non semper esse dignius, siue perfectius illo per suam essentiam, & est notissimum. Hoc autem ipsum est, non posse non semper esse prius illo per suam essentiam. Verum est, quod per essentiam est perfectius, per accidens superueniens posse reddi imperfectius, aut æquè perfectum; semper tamen dicitur per essentiam, seu per naturam prius, tamen si insuper in eo casu dicendum veniat posterius, aut simultaneum ex accidente.

Propositio 4.

- 45 In serie similiter originis, nullatenus impediti potest prioritas naturæ.

Quoniam, quod alteri dat esse, aut ex parte dantis esse ipsius facultatem quoquo modo complens se habet, eo ipso nequit non esse prius illi naturæ suæ, quidquid occurrat alia. Tum quia dependentia per originem strictissima est; per nullamque subinde oppositam impediti potest, quominus dignat posterioritatem naturæ ad seriem originis pertinentem; cum potius ea obster, quominus quævis alia opposita dependentia minus stricta, qualis est dependentia per connexionem, posterioritatem naturæ in suâ propriâ serie causet. Quo iure actio non mutuo connexa cum termino per illam producta, prior est naturæ ipso termino prioritate originis, & nullomodo posterior ipso posterioritate connexionis non mutua; talis enim connexio ab alio predicato actionis enervatur, quominus in eâ posterioritatem causet, quam in alio ente causaret. Quæ omnia ex dictis iam *quest. 2. à num. 25.* satis sunt nota.

Propositio 5.

- 46 In serie verò connexionis variis modis impeditur connexio, ne causet posterioritatem naturæ; & consequenter prioritas naturæ pariter in eâ serie impeditur.

Primo enim quoties connexio siue immediatè, siue mediatè mutua est, prioritas, & posterioritas naturæ cassantur, solaque simulatas naturæ datur in serie connexionis. Nam si cum A. connectitur B, & cum B. connectitur C; etiam si quantum est ex parte talium connexionum, præcisè A. esset prius, quam B, & C; & B. esset prius, quam C, si tamen A vicissim sit connexum cum C, omnia tria A B C connexa mutuo sunt, siue mediatè, siue immediatè; atque adeo simultanea euadunt, iuxta dicta *quest. 3.* omni eorum prioritate, posterioritatèque naturæ impedita. Inferes. Ergo si detur etiam mutua causalitas, siue mediata, siue immediata in serie originis, prioritas naturæ impeditur in illâ serie, contra doctrinam statutam *propos. 4.* Respondeo, in tali hypothese fore quidem, ut prioritas naturæ in serie originis impeditur: quia tamen hypothesis est impossibilis, eo quod mutua causalitas physica impeditur prioritatem naturæ, allaturaque simultatem prorsus repugnat, uti disputat. *9. quest. 5. propos. 29.* statuimus. Idcirco casus non est contra *propos. 4.* absolute assentem: inimpedibilem esse in serie originis prioritatem natu-

ra: quia non est possibilis mutua origo, quâ impeditur in serie originis, ut est possibilis mutua connexio, quâ, ut dictum est, impeditur in serie connexionis.

Secundò, in serie connexionis prioritas naturæ impeditur, ubi interuenit origo opposita, ut dicebamus *propos. 4.* Ob id causa, vel actio non mutuo connexa cum effectu, etsi titulo talis connexionis præcisè deberet esse posterior illo; absolute tamen non est posterior: quia titulo influxus ea posterioritas, & prioritas effectus illi respondens penitus impediuntur, solaque manent prioritas naturæ causæ, vel actionis, & posterioritas effectus ad seriem originis pertinentes. Similiter simultatem mutua connexionis impedit influxus causæ in effectum, quando causa, & effectus inuicem connectuntur, ut bene vidit Aristot. citatus *suprà quest. 3.* Quando autem causa mediatè connectitur cum effectu connexionem non mutua, prioritas effectus inde aliàs oriunda etiam impeditur per influxum causæ. Sed dubitari potest, quomodo id medio, quo causa connectitur cum effectu ad causam, & ad effectum sit comparandum, quando nullius respectu eius influxus interuenit, ut fieri potest. Censeo, comparandum esse, ut posterioritas naturæ causâ posterioritate mediata coalescente ex connexionem, quâ tale medium dependet non mutuo ab effectu, & in influxu, quo effectus dependet non mutuo à causâ. Quocirca censeo, in tali casu, etiam impediti posterioritatem immediatam causæ, aliàs oriundam à dependentiâ non mutua connexionis, quâ causa dependet à dicto medio: quia dependentia mediata, quam medium habet à causâ coalescens ex connexionem, & influxu, contra dependentiam immediatam solius connexionis, quam habet à medio, videtur præualere.

Tertio. Quando duo connexa non mutuo per eandem actionem fiunt; videbitur alicui fortasse impediti prioritatem, posterioritatèque oriundam à connexionem non mutua eorum, eo quod in tali casu, inuicem illa dependentia quoad esse euadunt, quatenus quodvis eorum per originem immediatè dependet ab actione. & per connexionem mediâ actione dependet ab altero, cum quo actio ipsa immediatè connexa est. Ego verò arbitror, in eo casu, non impediti prioritatem, posterioritatèque dictam: quia quamvis mutua dependentiam quoad esse ea duo fortiantur, maiori tamen dependentia dependet ab altero, quod cum altero est connexum non mutuo, quàm è conuerso: siquidem dependet ab illo, tum mediâ actione cum utroque connexa, in quo ambo sunt paria; tum insuper mediâ sui connexionem non mutua, quo iure adhuc posterius illo manere videtur. Vnde multò certius est, manere posterius naturæ altero, quod ab eo per originem dependet; tamen si rursus ambo indiuisim per eandem actionem fiunt, mutuaque quamdam ut sic dependentiam fortiantur. Hæc namque refunditur in dependentiam per connexionem, quam talis actio habet cum utroque; dependentia autem per connexionem contra dependentiam per originem non potest præualere, ut constat ex dictis.

Hinc sequitur, quando vnum dependet ab alio non mutuo, siue per connexionem: siue per originem, prioritatem, posterioritatèque naturæ in eâ dependentiâ fundatam, nequaquam impediti ex eo, quod ambo indiuisim peridem decretum Dei efficax decernantur, ab eoque quamdam mutua dependentiam fortiantur; quatenus ambo à decreto depen-

dependent per originem, & quodvis eorum ab al-
tero medio decreto cum eo connexo: quia de decre-
to efficaci tangente indivisim prædicta extrema,
perinde ac de actione, quod ad rem attinet, philo-
sophandum est, ut constat. Quod autem dictum
est pro casu, quod eiusmodi extrema tangantur eā-
dem actione, aut eodem decreto: pariter venit di-
cendum pro casu, quo duabus actionibus, aut duo-
bus decretis mutuò inter se connexis tangantur, ut
fatis ex se notum est.

50 Mitto alios casus, qui excogitari possunt, & ab
vnoquoque per ea quæ diximus facile resolventur.

QVÆSTIO V.

Qualiter ex pluribus ordini- bus natura vnus, & idem componi possit.

51 **B**atiam potest vnus ordo naturæ ex pluribus
excogitari compositus. Primum veluti mixtione
quâdam in eisdem entibus reperrâ. Secundò veluti
quâdam cōcatenatione reperrâ in entibus diuersis.
Priori modo erit ordo cōpositus ex pluribus in his
entibus A. B. C. D. si A. aut duobus, aut tribus, aut
quatuor generibus prioritatis, omni combinatione
facta, sit prius, quam B; & eisdem prorsus B. sit
prius: quam C, & C, quam D. Posteriori autē modo
erit ordo compositus ex pluribus in his entibus, A.
B. C. D. si A. vno prioritatis genere sit prius, quam
B & B. alio prius, quam C. & C. alio prius, quam
D. Igitur vtroque modo posse ex aliquibus vnus
ordo componi certū est, ut ex dicendis constabit.
Examinare tamen oportet, ex quibus, discutendo
per singulos. Agemus autem primum de primo: de-
inde vero de secundo compositionis genere; & in
vtrouque imprimis de prioritate, & posterioritate
absolutâ à tertio; dicturi nonnihil ad calcem de
respectivâ ad illud.

Propositio 1.

52 Vnum ens esse prius alio, & hoc prius tertio,
& ita deinceps, tum duratione simul, & di-
gnitate; tum origine, & dignitate, tum inconnexio-
ne non mutuâ; & dignitate possibile est.

Est clarum: quia nihil verat esse perfectius, seu
dignius alio id quod aut duratione, aut non mu-
tua inconnexione prius eodem est. Et hoc rursus
esse perfectius, seu dignius tertio similiter se po-
stiorē, & ita deinceps. Ut est notissimum.

Propositio 2.

53 Vnum ens esse prius alio, & hoc tertio, & ita
deinceps prioritate inconnexionis non mutuæ, &
simul prioritate aut durationis, aut originis pos-
sibile est.

Hæc etiam propositio est certissima; quia eius-
modi prioritates sæpe in eisdem entibus, aut con-
iunguntur de facto, aut possunt coniungi, ut cun-
ctis satis, superque, si rem considerent, notum fiet.

Propositio 3.

54 Vnum ens esse prius alio, & hoc tertio, & ita

deinceps prioritate durationis, & simul prioritate
originis possibile est.

Hæc propositio non adeò est certa ut præce-
dentes, loquendo, ut loquimur modò de prio-
ritate naturæ, quam in serie durationis partes dum-
taxat temporis, & aliz entitates, eis per essentiam
alligatæ habent: quia, quod per essentiam prius
est tempore, quam aliud, non videtur posse, in il-
lud influere; ut sit etiam prius origine, quam illud;
eo quod causa & effectus, eidem tempori correl-
pondere debent. Sed probatur nihilominus: quia
licet causa dans esse effectui in eadem mensurâ
temporis simul cum effectui esse debeat, conditio
tamen requisita, ut causa sit proximè potens cau-
sare effectum (quæ eo ipso, prius etiam est origine,
quàm effectus) in ipsâ eadem mensurâ temporis
non semper esse debet; sed vel in antecedente; vel
subsequente esse potest, iuxta doctrinam statutam
disp. 9. q. 5. *proposit. 30.* quo locus datur, ut idem
comparatione eiusdem, tum duratione, tum ori-
gine simul naturâ sit. Sic, dum mobile mouetur
localiter ab spacio A. ad spatium B. immediatum,
ut est conditio requisita habuisse illud præsentiam
in spatio A ad hoc, ut possit per motum produ-
cere præsentiam in spatio B; ita, & durasse illud sub
præsentia spatij A in in tempore immediatè ante-
cedente, ut producat in præsentia præsentiam spatij
B. quo fit, ut duratio eius in tempore antecedente
tanquam conditio quædam concurret ad produ-
ctionem præsentia spatij B (quam tempore præ-
senti suapte essentia affixam ponamus) atque ita
tali productione tum tempore, tum origine prior
naturâ sit. Sic etiam, ut intellectus sit hodie prox-
imè potens ad eliciendū actum fidei diuinæ, de du-
ratione Adami, præterita conditio requisita est,
existisse talem durationem; sub hypothesi saltem,
quod hodiè existat talis actus, atque ita illa tum
tempore, tum origine ipso actu fidei prior naturâ
est. De quo iterum redibit sermo q. 7.

Ex dictis colligitur, vnum ens posse esse prius 55
alio, & hoc tertio, & ita deinceps; tum omnibus
quatuor prioritatibus prædictis; tum tribus earum,
omni combinatione factâ. Agamus ergo iam de se-
cundo compositionis genere per cōcatenationem.

Propositio 4.

56 Ex serie dignitatis, & ex reliquis, non coalescit
vnus ordo naturæ concatenatione compositus,
qui simplicium retineat proprietates, quod ad
prius attinet, & posterius.

Nam in simplici quolibet naturæ ordine, quod
est prius priore, prius est etiam posteriore, ut
ostendimus q. 7. *proposit. 2.* Quod secus enit in
ordine composito ex ordine dignitatis, & reliquis,
si enim A. sit dignitate prius naturâ, quàm C. B. &
B. sit prius naturâ quàm aut duratione, aut ori-
gine; aut inconnexione non mutuâ; non mox
sequitur, A. prius esse, quàm C. Potest namque
naturâ esse posterius illo, vel simul cum illo, tum
dignitate, tum etiam, aut duratione; aut origine;
aut inconnexione, ut consideranti notū fiet. Tan-
tūdemque euenit, si A. prius naturâ sit quàm
B. aut duratione; aut origine, aut inconnexione
non mutuâ, & B. prius dignitate, quàm C.

Propositio 5.

Ordo naturæ concatenatione compositus ex 57
serie

serie originis, & ex serie connexionis perinde se habet, ac si esset vnus simplex ordo naturæ, quod ad prius attinet, & posterius.

Itaque, si A. prius naturâ est, quàm B. prioritate inconnexionis non mutatur, & B. prius naturâ est, quàm C. prioritate originis, absolute est dicendum, A. prius naturâ, quàm C. Quod si iterum C. prius naturâ, fuerit, quàm D. prioritate inconnexionis non mutatur, A, & B; priora quoque naturâ dicuntur absolute, quàm D, & ita pariter deinceps. Fundatur, autem propositionis veritas in similitudine horum duorum naturæ ordinum, exposita iam nobis *suprà quest. 2.* Et confirmari potest primo: quia A. in exemplo posito idem est prius naturâ, quàm B: quia B. dependet quoad esse ab A. ratione connexionis, & non è conuerso; sed etiam C. dependet quoad esse ab A. ratione originis simul, & connexionis; & non è conuerso: quia C. origine dependet à B, & B. connexione dependet ab A; non autem è contrâ. Igitur A. prius naturâ est etiam, quàm ipsum C. similiterque potest argui ad probandum, A. ipsum prius naturâ esse, quàm D. Secundo, si C. connexione non mutatur penderet à B, quemadmodum B. ipsum penderet ab A: A. prius naturâ esset, quàm C. sine dubio prioritate mediata: sed dependentia per originem, quàm C. penderet à B. præstantior est in genere dependentiæ, quàm dependentia per connexionem: et igitur in casu nostro potiori iure dicendum est, A. esse prius, quàm ipsum C. mediatè. Pari ratione, si C. penderet à B. connexione non mutatur; B. quidem sine controuersia prius esset, quàm D, quo etiam magis mediatè prius esset A: ergo dependente C. per originem non mutatur à B. potiori iure B, & A. dicenda sunt priora, quàm D. Tertiò C, & D. non se habent disparatè respectu A: quia ab illo mediatè dependent quoad esse; neque sunt priora, quàm A, ad quod nullo modo conducunt; neque simul sunt naturâ cum illo: quia nec habent mutuam dependentiam cum illo; nec sunt in eodem seriei gradu: ergo à fortiori sunt illo posteriora.

Itaque ex dictis duobus ordinibus concatenatione fit vnus, qui proprietates simplicium habet. Quo fit, vt in eo, quâ parte est ordo connexionis prioritas, & posterioritas naturæ impediri possit; quatenus in ordine connexionis impedibilis est, iuxta dicta *quest. 4. propos. 5.* licet, quâ parte est ordo originis impediri non possit: quia in eo non est impedibilis, iuxta dicta in eadem *quest. propos. 4.* Vnde multi casus excogitandi veniunt præter tactos ibi; qui tamen consentaneè ad doctrinam ibidem traditam ab vnoquoque resolui poterunt.

Propositio 6.

Ex serie durationis, & ex serie originis non coalescit vnus ordo naturæ concatenatione compositus perinde se habens, ac si esset simplex, quod ad prius attinet, & posterius.

Quia in omni serie simplici naturæ, ex vnâ parte, quod est prius priori, & posteriori debet esse prius. Ex aliâ verò, idem se ipso prius esse non potest, vt *infra quest. 7. propos. 2. & 4.* ostendimus. Hæc autem duo in ordine naturæ concatenatione composito ex serie durationis, & ex serie originis semper stare non possunt: quia cum possit esse in serie durationis prius naturâ altero, id quod eodem in serie originis est posterius naturâ, vt in eadem *quest. propos. 5.* videbimus. Casu, quod A. sit prius duratione, quàm B. & B. prius origine,

quàm C. si C. vice versâ sit, vt potest prius duratione, quàm B, & B. prius origine, quàm A; fiet vtrique, vt vel A. non sit prius, quàm C; neque C. prius quàm A, vt postulat ordo concatenatione compositus; vel si est, aut A. erit prius remotè se ipso, aut cum sit prius priore, nempe ipso C. non erit prius posteriore, nempe se ipso, quod vtrumque simplici ordini naturæ repugnat. Ordo igitur naturæ concatenatione compositus ex serie durationis, & serie originis coalescere nequit perinde se habens, ac si esset simplex, quod ad prius attinet, & posterius, vt *propositio fert.*

Propositio 7.

Ex serie durationis, & ex serie connexionis non coalescit vnus ordo naturæ concatenatione compositus perinde se habens, ac si esset simplex, quod ad prius attinet, & posterius.

Hæc propositio eodem modo, ac præcedens probanda venit: quia sicut in serie durationis potest esse prius naturâ altero id, quod eodem in serie originis posterius est; ita quoque in serie durationis potest esse prius naturâ altero id, quod eodem est posterius in serie connexionis. vt *q. 7. propos. 5. iam citatâ* ostendimus: ergo sicut in primo probatio præcedentis propositionis fundata est; ita in secundo fundati ab vnoquoque potest probatio præsentis.

Et hæc de vtraque compositione vnus ordinis naturæ ex pluribus, quod attinet ad prioritatem, posterioritatemque absolutam à tertio. Iam verò, quod ad prioritatem, posterioritatemque respectiuam ad tertium attinet, dico vno verbo, eodem modo de illâ philosophandum esse in quouis ordine naturæ qualibet ratione composito; atque in ordine naturæ simplici. Quoniam, si A. B. C. D. serie quâdam continuâ semel ponantur ordinata, quocumque demum modo talis series concipiatur composita ex pluribus, semper B. prius erit, quàm C. respectu A, & C. prius erit, quàm D. quia B. propinquius est ad A, quàm C. & C. propinquius, quàm D. in tali serie.

Ex dictis autem de compositione vnus ordinis naturæ, ex pluribus, facile quisque potest colligere: quid sit dicendum de compositione vnus ordinis accidentis ex pluribus, discurrendo per omnia genera ordinum accidentis; vt discursimus per omnia ordinum naturæ. Quem propterea discursum vniciusque, ne hîc diutius immoremur, faciendum remittimus.

QVÆSTIO VI.

Vtrum prioritas, & posterioritas ad seriem connexionis pertinens, non solum in connexione Metaphysicâ, sed etiam in Physicâ, & morali fundari possit?

Quod fundetur in connexione Metaphysicâ, & quâ ratione *quest. 2.* statutum, & explicatum est. Nunc autem pro resolutione supponimus ex dictis *disp. 14.* id cum alio esse connexum metaphysicè, quod nulla potentia potest sine illo esse. Physicè autem, quod naturaliter, & circa miraculum

lum non potest: moraliter denique, quod non potest moraliter. Vnde connexio metaphysica in quiditate rei connexa, prout penitus inseparabili à termino connexionis fundatur. Connexio autem physica in debito, siue iure connaturali, quo ex suppositione rei connexa terminus connexionis debet existere, siue ipsi debetur existentia. Connexio vero moralis in inclinatione, quâ ex suppositione rei connexa causâ termini connexionis ad ipsum inclinatur sunt.

64 Hinc: quia terminus connexionis metaphysica non potest non conducere; ut habeat esse res connexa hoc ipso, quod hæc absque tali termino nullatenus potest habere esse, & consequenter nullatenus potest ab ipso in suo esse non dependere. Ideo terminus connexionis metaphysica, quando est non mutua, nequit non esse prior naturâ, quàm res connexa, nisi aliud talis prioritas impediatur iuxta dicta q. 4. vtpotè, quia talis prioritas, & posterioritas ei correspondens nequeunt non fundari; nisi quid obstat in eiusmodi conducentiâ, atque dependentiâ non mutua, ut satis constat ex dictis quæst. 2.

65 Quia vero terminus connexionis physica, seu naturalis; neque ut aliquid omnino requisitum ad hoc, ut existat res connexa; neque aliter ad eius existentiam conducit: potius res connexa conducit ad existentiam termini connexionis, quatenus eius debitum, seu ius connaturale inducit, quo Deus mouetur ad illi existentiam præstandam: ut cernere est in materia vltimò dispositâ ad formam, ut sicque connaturaliter connexa cum forma, quatenus hæc illi connaturaliter debetur. Forma enim nullatenus conducit, ut existat materia disposita; eam tamen materia disposita conducit, ut existat forma, quatenus iure suo connaturali poscit à Deo, ut illam causet. Quia, inquam, hæc ita se habent, conficitur, in connexionem physica, seu naturalis, quatenus ea non mutua sit, nullam fundari prioritatem, quâ terminus connexionis prior euadat, quàm res connexa, uti fundatur in connexionem metaphysica. Prioritatem autem in eo fundatam, quâ res connexa prior est termino connexionis, vtpotè ad huius existentiam modo dicto conducentis, ad seriem originis pertinere; non vero ad seriem connexionis: quia est prioritas eiusdem influxus, non quidem physici; sed quasi moralis, seu obiectiui: id est exercitii mediâ diuinâ cognitione de iure connaturali, quo Deus mouetur ad causandum terminum connexionis. Vnde non est prioritas naturæ; sed prioritas ex accidente; ad seriemque proinde originis non naturæ, sed accidentis spectat, iuxta huiusmodi seriem distinctionem satis expositam in superioribus. Vnde tandem concluditur, in connexionem physica, seu naturali, nullam prioritatem, aut posterioritatem fundari, quæ ad seriem connexionis pertineat.

66 Ex quo planè videtur colligi, neque fundari in connexionem morali. Quia terminus connexionis moralis minùs adhuc videtur conducere ad existentiam rei connexa, quàm terminus connexionis physica: prioritas autem, & posterioritas ad seriem connexionis pertinens in huiusmodi conducentia fundanda erat, ut constat ex dictis. Stet ergo, prioritatem, posterioritatemque pertinentem ad seriem connexionis in solâ connexionem metaphysica fundari; non item in physica, aut morali. De solâque connexionem metaphysica sermonem esse, quoties de serie connexionis, de prioritate, posterioritateque ad illam spectante sermo est.

QVÆSTIO VII.

Quanam propositiones evidentes, aut alias certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.

Dico, elici, quæ sequuntur.

67

Propositio I.

In omni ordine, siue serie naturæ, quod est prius priore, & posteriore prius est prioritate mediata.

Si enim A prius naturâ est, quàm B, & B prius naturâ est quàm C intra eandem seriem naturæ, non potest A non esse mediata prius naturâ, quàm C. Id, quod ex ipsis terminis satis est evidens; sed declarari amplius potest discutendo per singulos naturæ ordines. Et quidem, si sermo sit de prioritatibus respectiuis ad tertium, quæ per omnes omnino series excogitabiles vagantur, propositio plane est aperta. Si enim B respectu A prius est, quàm C, quia propinquius, & C respectu eiusdem A prius est, quàm D; necesse planè est, ut B respectu A prius sit, quàm D prioritate mediata. Repugnat enim, B esse propinquius ad A, quàm C, & non esse propinquius, quàm D, quo propinquius est C. Hic autem idem est, esse propinquius, ac esse prius. Si autem sit sermo de prioritatibus absolutis à tertio, quæ, ut ex dictis in superioribus constat, ad quatuor series reuocantur, non minùs certa, perspicuaque videtur propositio.

Primum namque in serie dignitatis, seu perfectionis, quod est prius priore, non potest non esse prius posteriore prioritate mediata. Impossibile quippe est, ut A sit dignius, seu perfectius, quàm B, & B, quàm C, quin A quoque sit dignius, seu perfectius, quàm C, sicut A non potest esse maius, quàm B, quin etiam sit maius, quàm C, quò maius est ipsum B. In præsentem autem idem est esse prius, atque esse dignius, seu perfectius, siue maius quoad dignitatem, vel perfectionem.

Deinde in serie durationis, quod est prius priore, non potest non esse etiam prius posteriore prioritate mediata. Dies enim hesternus, qui prior est hodierno, non potest non esse prior etiam crastino, quo hodiernus est prior, ut patet.

In serie etiam connexionis, quod prius est alio priore, prius est quoque posteriore suapte naturâ: Nam si A est prius, quàm B: quia inconnexione non mutua habet cum illo; & B est prius, quàm C ob similem inconnexione; necesse est, ut A sit etiam prius, quàm C. Etenim idcirco A prius est, quàm B, in huiusmodi ordine: quia A conducit, ut sit B. (eo quòd B, ratione connexionis quoad esse dependet ab A.) B tamen nullatenus conducit, ut sit A; vtpotè, quod non est connexum cum ipso B; sed A etiam conducit, ut sit C, quia conducit, ut sit B, sine quo nequit esse C; C vero nullo modo conducit, ut sit A (quia

(quia, ut supponimus, A; neque cum C connexum est:) ergo A. prius est etiam, quam C: prioritate tamen mediata. Quod si verò A. connexum esset, immediatè cum C, nequiret utique prius illo esse; tametsi non conneceteretur immediatè cum B; imò neque esset tunc prius ipso B; sed omnia tria simul essent naturà, iuxta doctrinam statutam *quest. 3.* quia omnia tria essent mutuò connexa, & inter se dependentia, vel mediata, vel immediata: siquidem A immediatè penderet à C, & mediata à B, à quo penderet C, & C mediata penderet ab A; & immediata à B, quod immediatè penderet ab A. Nihil autem interest ad similitudinem naturæ, quod mutua connexiones, seu dependentiæ immediatæ sint, vel mediata: cum etiam dependentiæ, & connexiones mediatae verè sint dependentiæ, & connexiones, & tam strictæ, quam immediatæ. Nam connexiones Metaphysicæ (de quibus habemus sermonem, iuxta *quest. 6.*) æquæ sunt necessariæ, cum sunt mediatae, atque cum sunt immediatae, ut ex se patet, & ex dictis *disputat. 14.*

72 In serie denique originis, quod prius est alio priore, non potest non esse etiam prius posteriore prioritate mediata. Hoc tamen assertum non videtur adeo esse certum apud omnes, ut sunt præcedentia; cum sint multi, qui probabiliter doceant in serie causarum, & effectuum posse effectum remotum influere saltem moraliter in causam remotam. Ex quo videtur sequi, causam remotam posse non esse priorem effectui remoto, seu mediato; etsi sit prior, quam causa proxima, quæ prior ipso effectui est; sed verò assertum dictum, si stemus in eodem ordine naturæ, non potest non esse apud omnes certum. Nam qui dicunt, effectum remotum posse moraliter influere in causam remotam; non stant in eodem ordine naturæ, propterea præsentem propositionem statui debet; sed effectum propter influentem in suam causam remotam in ordine collocant accidentis; dicunt enim effectum propter cognitum influere in suam causam moraliter media sui cognitione. Quod est, cum in accidentis ordine collocare, ut constat ex dictis in præcedentibus, & ex dicendis in sequentibus amplius constabit. Nemo autem dixit effectum physicè influere posse in suam causam adhuc remotam eodem genere influxus, quo causa remota influat in ipsum: quo pacto in eodem ordine naturæ staretur. Deinde in præsentem assertum id supponitur quod *suprà disp. 9. q. 5. prop. 29.* statutum est, ex omnium sententia: repugnat scilicet, quod aliqua duo, vel plura entia semutò physicè causent quoad idem sui esse, atque adeo effectum remotum per eandem Physicam existentiam, quæ accipit mediata à causâ remotâ, nequaquam posse vicissim ipsi causâ existentiam dare; ipsamve physicè causare. Quo posito, non potest non causa remota iuxta sententiam omnium eodem iure esse prior naturâ effectui prioritate mediata, quo per influxum physicum non mutuam causa eius mediata est.

73 Stet ergo certum, in omni ordine, siue serie naturæ, quod est prius priore, & posteriore, prius esse prioritate mediata, dummodo intra eandem seriem naturæ semper stetut, cum sit comparatio. Unde consequenter efficitur, intra vnamquamque seriem naturæ, quod est posterius posteriore; priore quoque posterius esse posterioritate mediata, ut patet. Ex quibus etiam perspicue apparet, quo pacto omnis ordo naturæ ex pluribus gradibus coalescat, quorum quilibet vnico aliorum prior, aut po-

sterior est immediatè, & reliquis omnibus mediata, eoque magis, aut minus mediata, quò gradus intermedij plures sunt, aut pauciores.

Propositio 2.

Quod prius naturâ altero est, eodem posterius naturâ non potest esse; nec vice versâ intra eandem seriem naturæ.

Est clarum: quia, quod prius est, eâ ratione, quâ prius est, nequaquam potest posterius esse, cum prioritas, & posterioritas eiusdem generis respectus sint omnino oppositi, & sibi inuicem repugnantes, ut cunctis notissimum est. Si autem, quod prius naturâ altero est; naturâ etiam posterius eodem posterius esse intra eandem seriem, idem, quâ ratione est prius, eadem prius esset posterius; aliâque subinde naturam ab eâ, quam habet, haberet. Quod planè est chymericum. Et quidem in serie durationis satis est evidens: non possidem hodiernum, qui prior est crastino naturâ suâ, eodem crastino esse posteriorem suâ eadem naturâ. Idem patet in serie dignitatis. Nam, quod est alio dignius naturâ suâ non potest secundum eandem naturam, quæ invariabilis est, eodem minus dignum esse; nec minus certa res est in serie originis, & in serie connexionis non mutua; ut satis ex se constat.

Est autem propositio vera non solum de prioritatibus immediatis; sed de mediatis etiam tum inter se, tum cum immediatis comparatis: si enim A est prius, quam C mediata, quia est immediatè prius, quam B prius ipso C, impossibile est, ut C prius sit, quam A vel mediata, vel immediatè, ut constat ex dictis. Etenim cum esse A naturâ suâ immediatè prius, quam B, & B prius, quam C; & consequenter A mediata prius, quam ipsum C; aliud non sit à parte rei ab essentialibus prorsus innariabilibus horum trium entium A B C, impossibile est, ut talia non sint. Non essent autem talia, si esset A naturâ suâ posterius; quam B; vel, quam C aut B posterius, quam ipsum C: quandoquidem esse prius, & simul posterius idem comparatione eiusdem suâ naturâ, & in eadem serie; atque adeo prioritate, posterioritateque eiusdem generis, euidenter est impossibile; cum sint euidenter opposita metaphysicè talis prioritas, & posterioritas non minus, quam æqualitas, & inæqualitas, similitudoque, & dissimilitudo, & aliæ huiusmodi relationes, seu denominationes. Et hæc de prioritate, posterioritateque absolutâ à tertio.

De respectu autem ad tertium euidenter adhuc huc est propositio nostra: quia euidenter adhuc est, non posse idem naturâ suâ esse simul magis, & minus propinquum; quam aliud comparatione tertij; quod ipsum est, non posse idem naturâ suâ esse prius, & posterius, quam aliud respectu ad tertium, ut ex dictis in superioribus liquet.

Propositio 3.

Quod prius, aut posterius naturâ altero est, eodem simul naturâ esse non potest, nec vice versâ intra eandem seriem naturæ.

Hæc propositio æquæ, ac præcedens evidens est, eandemque, atque illa explicationem, confirmationemque ab vnoquoque præstandam habet; quia, quàm evidens est, prioritatem naturæ posterioritati naturæ eiusdem seriei esse oppositam, tam evidens

evidens est, prioritatem, posterioritatemque naturæ simulacri naturæ eiusdem etiam seriei oppositas esse.

Propositio 4.

78 Idem prius, aut posterius naturæ se ipso esse impossibile est.

Hæc propositio ex terminis imprimis est satis evidens, si sermo in eâ sit de prioritate, ac posterioritate immediatâ; cum sit compertum: hanc nisi inter duo distincta extrema aliquam seriem componentia dari non posse. Prioritas siquidem, & posterioritas naturæ quemadmodum distinctio, dissimilitudo, inæqualitas, & alia huiusmodi relationes evidentissimè sunt ex genere earum; quæ duo minimum extrema deposcunt ex conceptu suo, neque vnius tantum ad se ipsum vlatenus esse possunt.

79 Si autem sit sermo in propositione, ut verè etiam est, de prioritate, ac posterioritate mediata; non adeo clarè se prodit veritas eius: posset enim quispiam fortasse concipere tamquam possibile, quòd A sit prius naturâ, quàm B, & B, quàm C, & C, quàm ipsum A; atque ita, quòd A mediata prius naturâ se ipso sit. Cæterum, hoc prorsus esse impossibile demonstratur. Primò: quia si A esset mediata prius, quàm C, atque immediatè posterius ipso C, ut ita esset mediata prius se ipso, A simul esset prius, & posterius naturâ eodem C intra eandem seriem contra *propositionem 2.*

80 Secundo, id ipsum demonstratur discutendo per singulos naturæ ordines, quo, & ampliùs confirmatur doctrina dictæ *propositionis 2.* Compertum est enim, in serie durationis diem hesternum hoc ipso, quòd naturâ suâ prior est crastino mediata, nullatenus posse ipso crastino naturâ posteriorem esse, ut ita posset esse prior se ipso mediata. In serie autem dignitatis, quis non cernat esse impossibile, ut A suâ naturâ sit dignius mediata C: quia dignius B digniori ipso C, & simul sit suâ naturâ ipso C indignius immediatè? Tam in serie connexionis res adhuc est elarior, in quâ, ut A sit prius naturâ, quàm C, mediata: quia prius est B priori ipso C; ita debet C esse mediata connexum cum A, ut A nullatenus sit connexum cum C; alioquin A, & C, atque etiam B simul naturâ essent, ut dictum est *propositione 1.* sublatâ autem connexione ipsius A cum C, non potest A in tali serie esse posterius ipso C, ut constat. Denique in serie originis ex dictis *propositione 1.* constat, non posse naturâ posteriorem mediata suâ causâ remota, naturâ quoque esse immediatè priorem illâ: quia mutuo influxu physico in illam influere nullo modo potest; sed esto influeret: adhuc non esset prior illâ, potius illius prioritate impedita simul cum illa esset: quia, ut mutua dependentia per connexionem facit naturæ simultatem in serie connexionis, iuxta nuper dicta; ita mutua dependentia per influxum physicum, si possibilis esset, naturæ simultatem etiam efficere in serie originis, ut constat ex dictis *quæstione 4.* Postremò, in nullâ serie potest respectu ad tertium, esse aliòd prius naturâ immediatè illud, quod eodem est naturâ posterius: quia nullo modo potest esse propinquius alio ad tertium id, quod eodem ad idem tertium aliquo modo remotius est, ut est notissimum. Ex quibus patet, idem se ipso naturâ suâ prius, aut posterius esse

Pharus Scientiarum, Tom. 11.

Propositio 5.

Quod in vna serie naturæ prius naturâ altero est, eodem potest esse in aliâ posterius naturâ.

Hæc propositio ita indefinitè prolata certissima est: quia in aliquibus seriebus manifestè verificatur; tametsi non verificetur in aliis. Discutamus per singulas, prænotantes, sermonem esse de prioritate, & posterioritate naturæ absolutâ à tertio. Nam alia non habet hîc locum. Etenim, quod prius naturâ altero est in serie originis, eodem in serie dignitatis bene potest esse posterius: quia instrumenta, ut fatentur omnes, sapissimè influunt in effectum se perfectiorem, est actio, cum accedens sit, in substantiam se perfectiorem influit; atque ita instrumenta, & actio priora suâ naturâ sunt in serie originis suis, quibus in serie dignitatis sunt posteriora. Vnde etiam inferitur, naturâ simultanea esse posse in serie dignitatis, quæ in serie originis comparantur, ut prius, & posterius: quia certum est, id, quod influit in aliud, posse esse illi aequale quoad perfectionem.

82 Similiter, quod prius naturâ altero est in serie connexionis, eodem in serie dignitatis potest esse posterius: quia non repugnat, imò sæpè datur entitas connexa non mutuo cum aliâ se imperfectiore; quæ idcirco posterior naturâ illa est in serie connexionis, & prior in serie dignitatis, ut cernere est in actu fidei divinæ de accidente aliquo se imperfectiore, cum quo non mutuo connexus est. Vnde etiam inferitur, quæ sunt in serie connexionis simul naturâ, in serie dignitatis, ut prius, & posterius habere se posse, & vice versâ: quia possunt esse mutuo connexa, quæ sunt perfectione inæqualia, & de conuerso, aequalia perfectione esse, quæ connexa non mutuo sunt, ut satis ex se apparet.

83 In serie etiam durationis, naturâ prius potest esse, quod in serie dignitatis posterius est. Actus enim fidei divinæ suapte essentia durans hodie, atque adeò affixus hodiernæ mensuræ de duratione Adami præteritâ, suâ naturâ, in serie durationis est posterior duratione Adami, & prior in serie dignitatis utpotè illâ perfectior. Vnde etiam inferitur. Quod est altero prius naturâ in serie durationis, eodem simultaneum esse posse in serie dignitatis, & vice versâ. Prioris namque generis sunt, durationes perfectione aequales diversis temporis mensuris correspondentes. Posterioris autem durationes perfectione inæquales eodem correspondentes temporis mensuræ, ut est notum.

84 Iam quod prius naturâ altero est in serie durationis, eodem potest esse posterius naturâ in serie connexionis. Actus enim fidei divinæ se ipso existens hodie de duratione Antichristi futura, prior est ipsâ duratione in serie durationis, & posterior in serie connexionis ob connexionem non mutuum, quam cum illâ habet. Ob eam namque dicunt omnes communiter, prius esse, Antichristum fore, quàm credi futurum; veramque esse ideo credi futurum: quia re verâ futurus est; non tamen è contrâ: ideo futurum esse quia creditur fore, eo quòd esse futurum conducit, ut credatur futurum, non tamen è conuerso. Vnde etiam inferitur. Quod est altero prius naturâ

B

in

in serie durationis; eidem simultaneum esse posse in serie connexionis, & vice versâ. Prioris enim generis erunt, durationes mutuo connexæ diuersis mensuris temporis respondentes. Posterioris autem durationes correspondentes eidem tempori connexæ non mutuo; quæ omnes citra dubium possibiles sunt.

85 Interdum etiam, quod prius naturâ altero est in serie durationis, posterius eodem esse potest in serie originis. Hæc pars non adeo, ut præcedentes est certa. Probatur tamen: quia licet causa dans esse effectui, non possit non existere in eadem mensurâ temporis, in quâ existit effectus; nonnullæ tamen conditiones ex parte causæ requisitæ; atque adeo complentes eius potentiam, proximam ad causandum possunt existere prout vidimus *disp. 9. q. 5. prop. 30.* Accidere ergo poterit, ut aliqua eiusmodi conditionum posterius tempore sit effectui, in quem aliquo modo cum causâ influit, ipsoque subinde in serie originis prius naturâ est. Sic veritas saltem conditionata de futuritione durationis Aristoteli sub conditione quod intellectus noster eliciat actum fidei diuinæ de illâ se ipso affixum mensurâ hodiernâ ex vna parte prior naturâ est ipso actu fidei in serie originis utpotè complens potentiam proximam nostri intellectus ad illum eliciendum iuxta dicta *loco citato*. Ex aliâ verò, posterior naturâ est eodem in serie durationis, ut constat. Possit autem, imò, & sæpè debere esse simul naturâ in serie durationis ea, quæ, ut prius, & posterius comparantur in serie originis, manifestum ex dictis est, tametsi & conuerso fortasse nequeant esse simul naturâ in serie originis, quæ ut prius, & posterius naturâ se habent in serie durationis, nisi quis velit, durationem hodiernam, & eternam, dum eodem decreto Dei decernuntur, & exequuntur, ob id naturâ simultaneas in serie originis appellare, quod à doctrinâ traditâ *suprà q. 3.* non multum fors erit alienum.

86 Denique, quod prius naturâ est altero in serie originis, eodem in serie connexionis nequit posterius esse, etsi possit esse cum eo connexum non mutuo: quia posterioritas naturæ ex tali connexionem oriundâ per prioritatem originis impeditur; sicut & similtas naturæ oriunda ex mutua connexionem iuxta doctrinam statutam *questione 4.* unde patet, nec simultaneam posse esse in serie connexionis, quæ in serie originis ut prius, & posterius naturâ se habent. Quomodo autem nec vice versâ simul naturâ in serie originis esse possint, quæ, ut prius, & posterius naturâ in serie connexionis se habent, ex dictis in *eadem q.* facile quisque potest colligere.

Propositio 6.

87 Quod prius naturâ altero est in quavis serie respectu ad vnum tertium, eodem potest esse posterius respectu ad aliud.

Est clarum. Quia in serie naturæ ABCD quæcumque ea sit compertum est C respectu D prius esse, quàm B: quia propinquius; B autem posterius: quia remotius. Cum tamen respectu A vice versâ B prius sit, quàm C, quia propinquius; C autem posterius, quia remotius. Tantumdemque obeandem rationem euenit in quâlibet serie accidentis.

Propositio 7.

Quod in vna serie naturæ prius naturâ altero est, & in correspondente serie accidentis potest eodem ex accidente posterius esse, & vice versâ.

Sermo est imprimis de prioritare, & posterioritate, quas dicimus absolutas à tercio, & quæ in quatuor omnino naturæ ordinibus, siue seriebus, durationis scilicet, originis, connexionis, & dignitatis, in totidemque accidentis eis respondentibus dumtaxat reperiuntur. Appello autem seriem accidentis vnicuique seriei naturæ correspondentem, quæ in ipsâ fundatur, eundemque sortitur nomenclaturam. Series quippe accidentis durationis seriei naturæ durationis responderet, & series accidentis originis seriei naturæ originis &c. Quæ ex dictis, *questione. I. & 2.* satis sunt nota.

Igitur propositio sic intellecta, & indefinitè sumpta certissima est, quatenus in aliquibus seriebus naturæ, & accidentis manifestè verificatur tametsi in aliis, aut non ita certò, aut nullo modo verificetur. Discutamus per singulas. Enim verò in serie dignitatis quod prius naturâ altero est, eodem ex accidente manifestè potest esse posterius, atque etiam vice versâ. Planè enim potest contingere, ut A perfectius, seu dignius sit, quàm B suapte naturâ, & tamen B ab accidentibus sibi adiunctis perfectius, seu dignius euadat, quàm ipsum A. Tum etiam, & A imperfectius seu indignius suâ naturâ sit, quàm B; & tamen B ab accidentibus adiunctis imperfectius, seu indignius euadat, quàm A. Unde etiam patet, in serie dignitatis quod prius aut posterius naturâ est altero, eidem ex accidente posse euadere simultaneum, & e conuerso, quod alteri naturâ est simultaneum, eodè posse ex accidente euadere prius aut posterius.

In serie item originis electio mediorum, & ipsa media priora naturâ sunt sine intento, quem physice causant, quo eodem ex accidente sunt posteriora; quatenus finis prout apprehensus, aut etiam intentus, quod ipsi accidentarium est, ad ea omnia mouet; in eaque subinde media sui cognitione, aut etiam intentione influit. Nec solum bonitas finis, & eius quidditas sumpta secundum se, quo pacto diuersa veritas obiectiua est ab existentia exercitâ eiusdem, mouet ad electionem mediorum, ad ipsaque media, & in ea influit; sed etiam existentia ipsa exercitâ, quæ per electionem, & media physice executioni mandatur. Hæc enim est, quæ per intellectum propositâ intenditur à voluntate per intentionem; siquidem, quod intendit voluntas est, ut existat finis; tamen non per iudicium; sed per simplicem apprehensionem proponi debeat, siue iudicium de possibilitate eius insuper requisitum sit, siue secus. De quo suo loco. Hinc in serie mediorum, & finis communiter ab omnibus dici solet esse prius in intentione, siue ordine intentionis; quod in executione, siue ordine executionis posterius est.

Iuxta quam doctrinam dicam suo loco, ex prauisione etiam iudicatiuâ, & absolutâ effectus, posse Deum ad decernendam causam eius moueri. Quo casu effectus cum sit posterior naturâ causâ, eadem erit prior ex accidente in serie originis. De quo *ibi* plura. Quem admodum autem effectus prout habens esse intentionale in sui cognitione dicitur in serie originis prior ex accidente sua causâ, quæ

Disp. XV. De ordine, & ordinat. rer. Quæst. VII. 15

qua posterior natura est, hoc ipso, quod cognitio effectus influit in causam; Ita è conuerso causa propterea habens esse intentionale in sui cognitione posterior ex accidente dicitur esse in serie originis effectus, quo est prior natura, quando effectus ipse in cognitionem causæ influxerit, ut fieri potest. Ita namque causa esse intentionale dicitur habere ab effectu, cui ipsa communicat esse physicum.

92 Ex quibus etiam patet, quæ simul naturæ sunt in serie originis, ut prius, & posterius ex accidente habere se posse, & vice versâ. Primum enim eueniet, quando ex duobus effectibus ex æquo, atque adeo simul naturæ ab eadem causâ productis, alterum mediâ sui cognitione in alterum influxerit siue immediatè, siue mediâtè. Secundum, quando causâ prior naturæ effectus, & effectus ipse indiuisim mediâ sui cognitione, aut concurrant ad aliud causandum, aut ab alio quoad esse intentionale causentur, utroque enim modo erunt ex accidente simul in serie originis.

93 Similiter in serie durationis, si detur actus fidei diuinæ affixus hodiernæ mensuræ de duratione futurâ Antichristi, duratio Antichristi, quæ posterior naturâ est die crastino, prior ex accidente erit eodem quoad esse intentionale, quod hodie habebit in actu fidei. Quo iure veritas obiectiua durationis futuræ Antichristi ex accidente, est prior die crastino naturâ priore duratione ipsâ, quatenus iam hodie est, totoque tempore antecedente fuit verum, id est, indicabile verè Antichristum fore. Pariterque in serie durationis posterius ex accidente, quoad esse intentionale esse poterit, quod est prius natura. Tum simul ex accidente, quæ, ut prius, & posterius naturâ se habent, & vice versâ, ut consideranti patebit. Quoad esse verò physicum, in serie durationis non potest esse posterius alio ex accidente, quod prius naturâ eodem est, nec vice versâ. Ad id namque necesse erat, ut duratio naturâ prior, atque adeo temporis priori correspondens redderetur insuper correspondens temporis posteriori per aliam superadditam durationem, aut vice versâ. Quod est impossibile, ut satis ex se est notum, & amplius innotescet suo loco.

94 Denique in serie connexionis, quod altero prius naturâ est, eodem ex accidente posterius poterit esse quoad esse intentionale, & vice versâ. Casu enim, quod in tali serie sit A prius naturâ quàm B, & B prius naturâ, quàm C; si C sit cognitio de ipso A, ut accidere potest, A quidem, quod prius est naturâ quàm B, posterius eodem erit ex accidente quoad esse intentionale, quod obiectiue habebit in C: è conuerso autem, si A sit cognitio de ipso C, ut etiam potest euenire, C quidem prius erit ex accidente, quàm B quoad esse intentionale; quod obiectiue habet in A, quo eodem B posterius suâ naturâ est. Quoad esse verò physicum non apparet, quomodo in serie connexionis, quod prius naturâ altero est, eodem possit ex accidente posterius esse, aut vice versâ.

95 Iam verò de prioritare, posterioritateque respectiua ad tertium eodem fermè pacto, quod ad rem attinet, philosophandum est; atque ita dicendum, quod in vnâ serie naturæ prius naturâ altero est, in correspondente serie accidentis posse eodem ex accidente posterius esse. Hoc enim ipso, quod prioritare, posterioritateque ab-

Pharus Scientiarum, Tom. I. I.

soluta à tertio in quavis serie A B C D; C propterea habens accidentaliter esse in A est prius ex accidente, quàm B, quo posterius naturâ est, consequens est, ut prioritare, posterioritateque respectiua ad D, sit C prius naturâ, quàm B; quia propinquius, quo eodem posterius est ex accidente propterea habens esse in A remotiori. Per quam generalem doctrinam quid in singulis seriebus speciatim dicendum sit quisque discipiet.

Propositio 8.

Quod in vnâ serie naturæ prius naturâ altero est, in serie accidentis non eodem, sed alteri seriei naturæ correspondente potest eodem ex accidente posterius esse, & vice versâ.

Hæc propositio ita indefinitè sumpta etiam est certa, quatenus in aliquibus saltem seriebus naturæ, & accidentis, de quibus agit, apertam veritatem habet, ut factò discursu per singulas notum fiet: agit autem de prioritare, posterioritateque talium serierum absoluta à tertio. Et enim, quod in serie naturæ dignitatis prius naturâ altero est, in serie accidentis durationis manifestè potest eodem ex accidente esse posterius. Similiterque in serie accidentis connexionis saltem quoad esse intentionale, ut per doctrinam in superioribus traditam vniciue consideranti satis conspicuum fiet. Pariterque vice versâ potest accidere, ut quod posterius naturâ est altero in serie naturæ dignitatis, eodem ex accidente sit posterius in qualibet dictarum serierum accidentis. Vnde etiam colligitur, simultanea ex accidente, posse esse in eisdem accidentis seriebus, quæ ut prius, & posterius naturâ in serie dignitatis se habent. Et è conuerso, quæ in serie dignitatis naturâ simultanea sunt, in aliis seriebus ut prius, & posterius ex accidente posse se habere.

Item, quod in serie naturæ durationis prius naturâ altero est, in serie accidentis dignitatis manifestè potest eodem esse posterius ex accidente; necnon in serie accidentis originis, & in serie accidentis, connexionis, saltem quoad esse intentionale, vti in casu præcedente dicebam. Ex quo cetera ad præsentem paritatem transferenda, & applicanda sunt. Imò verò in reliquis casibus possibili omnium eorum combinatione factâ, eandem doctrinam locum habere, quisque discurrendo per singulos deprehendet, consentaneè ad doctrinam traditam *propositi. 7.* pro omnibus itidem casibus ad eam spectantibus, cum sit manifestè facilius; atque adeo certius, posse esse ex accidente posterius, quod naturâ est prius in seriebus naturæ, & accidentis sibi non correspondentibus, de quibus modò, quàm in sibi correspondentibus, de quibus ibi. Quocirca huiusmodi discursum, ne prolixius immoret, legenti faciendum relinquo.

Propositio 9.

Quod in vnâ serie accidentis prius ex accidente altero est, in aliâ diuersâ serie accidentis ex accidente etiam potest eodem posterius esse, & vice versâ.

Hæc propositio perinde, atque duæ præcedentes, est certa: locumque habet in omnibus casibus, qui, factâ omni combinatione, coalescere possunt.

B z sunt

sunt ex quatuor seriebus accidentis, ubi prioritas & posterioritas absoluta à tertio, de qua sermo est, reperitur; diguitatis scilicet, durationis, originis, & connexionis, ut unicuique per dictos casus discurranti consentaneè ad doctrinam traditam *proposit.* 7. compertum fiet. In quo propterea discurrere faciendo non oportet multum morari. Et enim, quod prius ex accidente esse potest in serie dignitatis, eodem posterius ex accidente esse potest in serie durationis; necnon in serie originis, & in serie connexionis, saltem quoad esse intentionale, & vice versà, ut ex se, & ex dictis satis est notum. Similiterque, quod prius ex accidente altero est in serie durationis, eodem posterius ex accidente potest esse in serie originis, & in serie connexionis saltem quoad esse intentionale, & vice versà. Et in cæteris pariter.

Propositio 10.

99 Idem se ipso prius, aut posterius ex accidente potest esse, sapèque est.

Quotiescumque enim ex accidente est posterius altero id, quod eodem est prius naturà, vel vice versà, in seriebus naturæ, & accidentis sibi correspondentibus, iuxta *proposit.* 7. nequit non idem se ipso mediàtè esse prius, aut posterius ex accidente. Si enim in serie A, B, C, prius naturà est B, quàm C, propterea habens esse in A, quod eodem propterea habente esse in A, est posterius ex accidente, nequit non C propterea habens esse in A, esse mediàtè prius ex accidente se ipso propterea habente esse in se. Et è conuerso. Si B posterius est naturà, quàm A, propterea habens esse in se, quod eodem propterea habente esse in C; prius ex accidente est; nequit non A, mediàtè propterea habens esse in C posterius ex accidente esse se ipso propterea habente esse in se. Hoc pacto finis propterea in intentione prior ex accidente est se ipso propterea in executione prioritate originis. Similiterque effectus oriundus mediàtè à sui cognitione, propterea in cognitione est prior ex accidente se ipso propterea in se. Sic etiam duratio Antichristi futura propterea habens esse in actu fidei de se hodierno ex accidente est prior se ipsa propterea habitura esse in se prioritate durationis. Pariterque vice versà est posterior ex accidente se ipsa duratio præterita Adami. Tantumdemque dicendum est de cæteris huiusmodi casibus.

100 In aliis verò casibus spectantibus ad *proposit.* 5. 8. & 9. ex eo quod idem comparatione eiusdem possit esse prius, & posterius respectu ad diuersas series, non sequitur, idem posse esse prius, aut posterius se ipso, adhuc ex accidente prioritate, aut posterioritate mediàtè: quia eiusmodi diuersæ series non ita concatenantur ad componendum unam, ut in eis quod est prius priore, eo ipso dicatur prius posteriore prioritate mediàtè, propterea oportebat, ut quod est prius altero in unâ serie prioritate se in aliâ, prius se ipso mediàtè esset ex accidente. Recognoscatur doctrina tradita *suprà* *quest.* 5.

Propositio 11.

101 Prioritas, quam multi appellant maioris vniuersalitatatis, ipsa inconnexione non mutua prioritas naturæ est. Tuncque propterea, & non aliàs conceptibus vniuersalioribus respectu minus vni-

uersalium conuenit, quando hi cum illis suâ naturâ metaphysicè, & non mutuo connexi sunt.

Quod Aristoteles inter exempla priorum ea magis vniuersalia respectu minus vniuersalium posuerit, in quibus subsistendi consequentia non valet, ut phrasia est eius; eo videlicet, quod connexionem non mutua inter se habent, vulgò introductum est, ut magis vniuersalia indiscriminatum dicantur priora minus vniuersalibus prioritate maioris vniuersalitatatis; quasi prioritas sic nuncupata specialem quamdam constituat speciem prioritatis in maiori vniuersalitate fundata. Cæterum hic concipiendi, & loquendi modus abusus est, & ab Aristotelis mente prorsus alienus. Tum, quia non omnia magis vniuersalia minus vniuersalibus sunt priora, ut mox dicemus. Tum, quia, quæ sunt, non à maiori vniuersalitate, sed ab inconnexione non mutua, quæ in multis aliis conceptibus non magis vniuersalibus reperitur, habent talia esse; proindeque prioritas maioris vniuersalitatatis non specialis quadam prioritas solis magis vniuersalibus respectu minus vniuersalium competens, sed ipsa inconnexione non mutua prioritas est, quæ ad multo plura quàm magis vniuersalia se extendit, ut ex dictis in superioribus satis est notum.

Quod autem non omnia magis vniuersalia minus vniuersalibus, etiam iis, de quibus ut de inferioribus prædicantur, priora sint est; certum quia vniuersalia accidentaliter inferioribus, de quibus, ut sic prædicantur priora non sunt; nullo quippe genere prioritatis est prius in homine esse album, aut moueri; aut currere; quàm esse hominem, ut ex se patet: cum tamen esse album, moueri, aut currere prædicatum sit vniuersalius homine, atque conueniens ut inferiori. Solum ergo ea magis vniuersalia minus vniuersalibus sunt priora, cum quibus hæc sunt connexa non mutuo, cuiusmodi non sunt vniuersalia accidentaliter; sicut nec, quæ ad minus vniuersalia disparatè se habent; eo quod hæc illorum inferiora non sunt. Per quæ *propositio* sufficienter est demonstrata.

Propositio 12.

Omnis veritas quiditatiua entis distincti à Deo prior natura est veritate existentiali sibi correspondente prioritate inconnexione non mutua.

Est certum: quia omnis veritas existentialis entis distincti à Deo cum veritate quiditatiua sibi correspondente connexa metaphysicè est inconnexione non mutua. Ob id enim sic bene arguitur: homo existit: ergo est possibilis: homo existentialiter est rationalis: ergo quiditatiue est rationalis: homo existentialiter est risibilis: ergo quiditatiue est risibilis; non tamen è conuerso. Dico autem, veritates quiditatiuas, & existenciales inuicem sibi correspondentes eas, quæ conueniunt eidem enti; entitatibusque proinde inuicem identificantur, ut cetera est in exemplis datis. Veritas quippe quiditatiua vnius entis veritate existentiali alterius non est prior naturà ex eo præcisè, quod illa quiditatiua, & hæc existencialis sit, nisi existencialis aliunde connexa non mutuo sit cum quiditatiua, ut est connexa omnis veritas existencialis creaturæ, cum veritate quiditatiua Dei; & vniuersim omnis veritas existencialis rei connexa non mutuo;

mutuo cum veritate quiditatu termini talis connexionis. Excepi autem in propositione Deum: quia quiditas eius mutuo cum eius existentia connexa est, atque adeo non est prior illa.

104 Inferre aliquis. Ergo idem potest se ipso prius naturâ esse contra doctrinam statutam prop. 4. distinguo consequens. Idem tam verificatiue, quam entitatiue; siue tam quoad statum, quam quoad entitatem, de quo dumtaxat sermo est in ea propos. 4. potest se ipso prius naturâ esse; nego. Idem entitatiue tantum, non item verificatiue, & quoad statum potest se prout verificatiue, & ratione status diuerso prius natura esse, concedo. Quod non est contra dictam prop. 4. Recognoscitur doctrina tradita disp. 10. q. 1. ubi monstrauimus, quomodo veritas quiditatiue, & existentialis, etsi entitatiue identificata, diuersæ nihilominus veritates; imò & separabiles sunt, ad diuersosque, & separabiles status pertineant. Quod satis est, ut vna prius naturâ possit esse, quam altera; etiam si vna, & eadem veritas ad vnum, & eundem statum pertinens prius natura se ipsa esse non possit iuxta doctrinam statutam *disp. prop. 4.*

105 Ex quo item patet, quomodo status rerum quiditatiue statu earundem existentiali prior natura sit; nam status isti ab ipsarum rerum veritatibus obiectiuis quiditatiuis, & existentialibus nihil differunt, uti etiam *disp. 10. q. 1.* citatâ explicatum est.

Propositio 13.

106 Omnis veritas conditionata creaturæ, prior natura est veritate absoluta sibi correspondente prioritate inconnexionis non mutua.

Hæc propositio aequè est certa, ac præcedens, eodemque modo, atque illa, exponenda venit, & comprobanda, in quo morari opus non est. Solum aduerto veritatem conditionatam, & absolutam illi correspondentem, quales sunt, quæ eidem enti conueniunt; siue de eodem subiecto verificantur; aut ad statum quiditatiuum; aut ad statum existentialem spectare posse, prout vidimus *disp. 10. q. 1.* citata nuper, ubi ad rem plura. Ex quibus etiam apparet, quomodo status conditionatus statu absoluto sibi correspondente prior natura sit.

Propositio 14.

107 Omnis pars prior naturâ suo toto est prioritate saltem inconnexionis non mutua; nisi quando pars cum toto mutuo connexa est.

Est clarum: quia pars cum toto regulariter non mutuo connectitur, etsi mutuo connectatur nonnunquam. Addidi autem *saltem*: quia, si pars est re verâ causa totius, aliquo modo influens in illud, ut multi putant, de quo suo loco, prioritate etiam originis erit dicenda prior illo. Quo titulo prior semper illo dicenda erit, etiam si mutuo cum illo connexa sit; siquidem prioritas originis per mutuum connexionem non impeditur, quemadmodum prioritas spectans ad seriem connexionis, ut ex dictis in superioribus satis est notum.

Propositio 15.

Quidquid per se influit in aliud, siue tanquam principium, siue tanquam causa, siue tanquam conditio, siue tanquam causalitas prius natura illo est prioritate originis, idque prioritate immediata, si influxus immediatus est; mediata verò, si mediat.

Hæc propositio ex dictis in superioribus satis superque nota est. Ex ea autem sequitur primò contra quosdam recentiores: actionem, passionem, & quamlibet aliam causalitatem realiter ab effectu distinctam priorem naturâ esse effectu ipso prioritate originis. Quod enim illa cum effectu connexa metaphysicè sit, non impedit prioritatem eius originis comparatione effectus; tamen si impediatur aliam inconnexionis non mutua, quam insuper habet causa comparatione ipsius causalitatis, & effectus, quando cum his, ut sæpe euenit, metaphysicè non est connexa.

Secundò sequitur, Patrem æternum prioritatem originis habere respectu Filij; similiterque Patrem & Filium respectu Spiritus sancti: quia Filius re verâ producitur à Patre, Spiritus sanctus à Patre, & Filio. Quamuis autem ista prioritas prioritas naturæ sit, quatenus prioritas naturæ à prioritate ex accidente condistincta est. Absolutè tamen loquendo, non dicitur à Theologis prioritas naturæ; sed tantum prioritas originis; ne eo loquendi modo innuatur distinctio aliqua realis naturæ Patris à naturâ Filij, naturæque Patris, & Filij à naturâ Spiritus sancti; eandemque quippè naturam, essentiamque Theologicam habent Patrem, & Filium, & Spiritus sanctus, ut fides docet; tamen si proprietates personales distinctas habeant, in quibus prout talibus fundatur, atque adeò re ipsâ consistit eiusmodi originis prioritas, & posterioritas.

Tertiò sequitur decretum Dei prædefinitiuum actus liberi compatibile cum libertate, quod eo ipso remotè tantum debet in actum ipsum influere, prioritatem naturæ habere remotam comparatione talis actus ad seriem originis pertinentem. Vnde necessitas, quæ datur ad actum ex suppositione existentie talis decreti, ob connexionem, quam illud habet cum actu, necessitas antecedens remotè ad talem actum dici posset. Cæterum, quia necessitas antecedens ad actum, simpliciter, & absolutè loquendo, ea dumtaxat dici solet, quæ libertati actus opposita est; utpote oriunda ab aliquo antecedente connexo cum actu, quod per arbitrium voluntatis, à qua actus est, impediri non potest, & talis non est necessitas per dictum decretum inducta; utpote, quod per arbitrium voluntatis, cuius actum prædefinit est impedibile. Idcirco necessitas per eiusmodi decretum inducta non solet appellari antecedens, simpliciter, & absolutè loquendo; sed potius consequens: per istam tamen loquutionem non est censenda negari prioritas naturæ remota, quam tale decretum habet ad talem actum. De quo plura suo loco. Mirò alia plura, quæ ex data propositione possunt inferri singillarim, & vnusquisque facillè inferre poterit.